ZUR

ÖFFENTLICHEN PRÜFUNG

DER SCHÜLER

DES

GYMNASIUM FRIDERICIANUM

WELCHE

AM 28. UND 29. SEPTEMBER GEHALTEN WERDEN SOLL

LADET GANZ GEHORSAMST EIN

DR. FRIEDRICH CARL WEX

DIRECTOR.

INHALT: 1. DE HESIODI CARMINE, QUOD OPERA ET DIES INSCRIBITUR C. HEYERI COMMENTATIO.
2. SCHULNACHRICHTEN VON MICHAELIS 1847 BIS DAHIN 1848.

SCHWERIN, 1848.

GEDRUCKT IN DER HOFBUCHDRUCKEREI.

indignabundus se accinxit Ranckius, vir ὀρθοδοξότατος a Goettlingio suo appellatus, qui omnes machinas illas, quas Hermannus primus Hesiodo admoverat, manibus pedibusque defendens, suscepto muneri suo sibi minime visus est satis facturus fuisse, nisi ad unum omnes versus ut genuinos quoquo modo studuisset tueri. Ipse autem Goettlingius, Jenensis, theologis Albertinae academiae haud dissimilis, inter Ranckium Lehrsiumque mediam quandam viam ingressus, tamen Regiomontani novatoris partes sequi maluit quam Berolinensis critici, vetera conservantis.

Compositae nunc fato illae quidem in civitate contentiones, in Hesiodo manent et mansurae sunt, nisi forte hoc scriptulum meum fati in his munere functurum est, cui ne potius illud fatum instet, vereor, quod hujusmodi scriptionibus scholasticis anus aliqua Sabella videtur olim cecinisse. Utut erit, cum Hesiodum, ex quo primum in eo legendo versatus sum, in dies magis adamassem nec quod supererat otii, melius eo me uti posse arbitratus essem, quam ut ejus reliquiis, Operibus maxime, vel intelligendis vel emendandis operam navarem, hac scribendi opportunitate oblata, ex iis, quae in Opera et Dies dudum commentatus eram, quaedam promere non dubitavi; cum mihi quidem viderer pro mea parte elaborasse, ne hoc quantulumcunque scriptulum meum ita habiturum esset, ut negligentiae inde aut levitatis crimen in me merito esset redundaturum.

Cum autem primo constituissem in tenui potius singulos locos exponendi studio consistere, postea, perlecta maxime Vollbehrii commentatione, una cum textu quem vocant et scholiis nuper Kiliae edita, rursus inclinavit animus ad eas quaestiones, quae a Twestenio, Thierschio, Goettlingio, ceteris institutae sunt, atque ex illius scripti lectione spes etiam succrescebat, fore ut denuo haec tractandi non inutilis opera suscepta esset, neve incassum viderer in illum virum doctum tela jactare.

§. 1.

Etenim Lehrsii opinionem de Operum adornatione ex verborum ac litterarum similitudine facta quamvis non probem atque etiam in exurendo critica face carmine justo longius eum progressum censeam, verum a Vollbehrio tamen et Ranckio, cui ille de summa re assentitur, multo magis dissentio. Ut statim dicam, quid de universo carmine sentiam, re iterum iterumque perpensa, ad hanc sententiam delatus sum, ut credam primum non solum singulos aliquos, sed plures etiam et continuos versus pro spuriis habendos, deinde nequaquam salvum esse illum singularum partium ordinem, quem Proculus et hujus admiratione ductus Ranckius cum Vollbehrio contra omnes praeter Proculum criticos tueri studuerunt; sed resectis non paucis, *Γενεαῖς*, *παροιμίοις*, *Ἡμέραις*, continuum erui carmen, quod Lehrsius aliique negant, ac genuinum, ita tamen ut in Pandorae mytho non servatus sit vetustus et germanus color Hesiodei sermonis nec passim (ut in vv. 645—663 ed. Goettl.) rhapsodi alicujus additamenta non appareant. Diversarum autem recensionum pauca vel nulla in hoc carmine deprehendi manifesta vestigia. Haec quo jure a nobis statuantur, ut intelligatur, paucis exponendum est, quibus quasi fundamentis in hoc carmine critice tractando insistendum esse duxerim.

Dicam primum de Proculo, qui apud Ranckium Vollbehriumque in magna gratia est, apud me nulla. Vere quidem Goettlingius, praef. ed. sec. p. LXX, „longe praestare ejus annotationes ceteris omnibus commentariis, quorum ad nos notitia pervenerit“, scilicet Tzetzis, Moschopuli, Protospatharii; at primum Anonymorum scholiis, quae a Proculi commentario primus secrevit Vollbehrius, ut tamen pleraque corrigenda restent, multo aegrius careremus, cum ex antiquorum Alexandrinorum criticorum commentariis haustas annotationes doctissimas, ad criticam et grammaticam disciplinam pertinentes, exhibeant longe Proculo plures; deinde vero ita habent hujus commentarii, ut eo tantum videantur digni, qui perlegantur, quod inde Plutarchi maxime notae cognoscuntur; ex iis enim, quae ipse commentus est, maxima pars absurda. Nec mirum, quod, cum ille Atheniensem philosophorum sedem occuparet, per multos annos jam cessaverat artis criticae et philologiae studium, cujus ex regulis et legibus iis,

quas Aristophanes, Aristarchus, Apollonius sequuti erant, exercendi Proculum plane imperitum fuisse, neminem, qui ejus commentarios vel obiter inspexerit, poterit fugere. Nec fugit Ranckium, qui tamen Lehrsii odio quodam ductus, hunc hujusque similes ad istum relegare ausus est orphicae sapientiae amatorem. Sed aliam Proculus poëta simul et philosophus carminis tractandi viam ingressus est, aliam ingredi philologos criticosque decet. Conscripti sunt perpetui ejus commentarii non ullo artis criticae studio, sed juventutis bonarum artium studiosae gratia, et eo fere consilio, quo ipse ab Hesiodo Operum ac Dierum carmen versibus conscriptum fuisse existimat, *ἵνα τὸν ἴδιον βίον κοσμήσαντες, οὕτω καὶ τῆς περὶ τὸ θεῖον γνώσεως ἐπήβολοι γένοιντο.* Quamobrem illi ne in mentem quidem venit de textus, quem vocant, *διορθώσει* vel *σημειώσει* cogitare, sed omnibus hujusmodi quaestionibus, quae ab Alexandrinis et Plutarcho summa et doctrina et sagacitate institutae fuerant, supersedens nihil aliud commentario suo conscribendo voluit praestare, nisi ut textu, sicut acceperat, integro relicto non solum verba et sententias illustraret, sed imprimis poëtae aperiret *σκοπὸν παιδευτικόν.* In quo studio eo usque progressus est, ut, consulto abstinens a critica, posthabitis omnibus *ἀθετήσεων* caussis allatis, omnia servanda duceret, si modo aliquem *σκοπὸν παιδευτικὸν* in iis inesse odoraretur. Hujusmodi *ἀκρισίας* egregium documentum exhibuit in praefatione, quod Operum prooemium, cum bene sciret ab Aristarcho, Praxiphane, aliis damnatum esse, (*μηδὲ τοῦτο ἀγνοῶμεν*, ipse inquit), tamen servandum explicandumque censuit, *τάχα δ᾽ ἂν εἴη*, inquit, *καὶ τοῦτο παιδευτικόν, εἰς τὸ μὴ πάντα τὰ οἰκεῖα σεμνύνειν, ἀλλὰ καὶ τὰ παρ᾽ ἄλλοις ὄντα προτιμότερα τῶν οἰκείων τίθεσθαι· καὶ γὰρ τὰς Μούσας* (v. 1 commemoratas) *τετέχθαι μὲν ἐν τῇ Πιερίᾳ φασίν, ἐν δὲ τῷ Ἑλικῶνι χορεύειν.* Addo aliud. Plutarchus aliique vv. 318 sq. ut ex Homero illatos ejecerant; at Proculus: *δηλοῖ δ᾽ ὅμως δι᾽ αὐτῶν, ὅτι οὐ χρὴ αἰδεῖσθαι μετιέναι τὸ ἔργον, ἀφ᾽ οὗ βίον συλλέξεις· ἡ γὰρ χρεία κρείττων τῆς αἰδοῦς· καὶ οὐκ ἂν εἴη ἡ αἰδὼς ἀγαθόν, ἀλλ᾽ ἔστιν ὅτε καὶ βλαβερόν.* Neminem fugit, quam haec sint confuse disputata. Mitto plura exempla, quibus facile probaretur, eum philosophantis quam sobrii interpretis et critici munia explere maluisse; sufficit attulisse primum illud maxime portentosum, vel a Tzetza irrisum; quod si unum ac solum in illo commentario inveniretur, obstaret vel maxime, ne in locis difficilibus ad explicandum istum audiremus atque adeo provocaremus ad hominem judicii et mentis sanae expertem. Quae cum ita sint, admirari nunquam satis possum Ranckium Vollbehriumque, cum illa bene perspexissent, ad istum tamen non solum in singulis explicandis, ut in vv. 108, 192, aliis, recurrisse et Lehrsios Twestenosque, unde discerent, relegasse, sed ejus expositionem de nexu singularum partium carminis deque ejus continuitate et integritate suo judicio comprobasse et confirmasse. Quid? num probabile est, qui tam perversis philosophematis utatur, quique omnibus criticis quaestionibus consulto supersedeat, eum de summa re verum vidisse viamque ingressum esse ad expediendas summas difficultates optimam? Non credo equidem nec ullo pacto potui in animum inducere, ut eum in hac re auctorem sequerer. Haud recusarem fortasse, si quis demonstraret, non istum in hac re primum illa via praeivisse, sed potius aliquem veterum grammaticorum, facem praeferentem, sequutum esse. De qua re valde dubito. Igitur hanc criticae in hoc carmine instituendae primam legem ac normam stabiliendam duxi, ut, spreta et contemta illa ratione, quam primus Proculus monstravit, veterum Alexandrinorum grammaticorum auctoritatem sequerer, quique eorum vestigia pressit, Plutarchi.

Dixi, in critica arte factitanda Proculi non magni aestimandam auctoritatem, hoc non dico, non felicissime evenisse, ut ejus commentarii iique integri, ut videtur, ad nostra tempora duraverint. De qua re nobis gratularemur, etiamsi nihil inde aliud disceremus, nisi eandem Plutarchum in manibus habuisse Operum ac Dierum recensionem, cujus commentariorum quatuor libros a Proculo eum in modum collatos esse manifestum est, ut ad singulos prope versus eos consuluisse videri debeat. Pro certo autem haberi potest, idque jam Ranckius contendit, Plutarchum eadem prorsus recensione usum

esse, quam Proculus exhibet. Quamquam equidem de universo tantum carmine illud affirmare ausim; de singulis versibus non item. Nam etsi non solum ex iis, quae de singulis et verbis et sententiis Plutarchus scite ac docte commentatus erat, pleraque Proculus attulit, sed etiam si qua in illis commentariis vel aliter scripta, vel omissa (cf. v. 797, 244 al.) invenerat, saepius annotavit, dubium tamen videri debet, numne ex his plura neglexerit vel omiserit. Etenim v. 265 vulgatam Aristotelisque lectionem in Proculi libro exhibitam fuisse ex iis, quae ab eo ad illum locum afferuntur, apparet; at diversam eamque majoris antiquitatis specie insignem (cf. Goettl. ad h. l. ed. sec.), tuetur *Plutarchus* de sera num. vindict. c. 9. Sed de universa carminis forma utique constat. Verbum addo de v. 797. Proculus ad lemma *πεφύλαξο δὲ θυμῷ* haec habet: *τοὺς πρὸ τούτων δ' στίχους οὐδὲ μνήμης ὁ Πλούταρχος ἠξίωσεν ὡς ἂν μὴ φερομένους.* Ex his verbis Goettling. in ed. sec. concludi posse dicit, Plutarchum legisse:

ἐσθλὴ δ' ἀνδρογόνος δεκάτη, πεφύλαξο δὲ θυμῷ
τετράδ' ἀλεύασθαι sqq.

Me judice nihil inde aliud colligitur, nisi non legisse Plutarchum aut noluisse explicare ut spurios vv. 794—797, quos bene posse omitti nemo facile negabit. Nam quod docent, idem etiam vv. 788, 815 sq. exhibetur. Sed praeterea hoc inde consequitur, opinor, versus 815 sq., quos Goettl. uncis inclusit, a Plutarcho pro genuinis habitos esse; nam vv. 794 sqq. atque vv. 815 sq. simul omittere non potuit, ne gravissimarum rerum mentio deesset in Calendario. Optime quidem Goettling. perspexit, turbata quaedam illo loco esse, propter asyndeton v. 817 non ferendum. Nollem autem etiam in tam jejuno carmine usus esset medicina, quae in epico carmine, velut in Theogoniae partibus quibusdam, recte quidem adhibetur. Quamquam nec in Theogonia nec in Operibus multum proficias admissa illa diversarum recensionum hypothesi. Hoc certe loco ea non opus est, cum omnis facillime tollatur offensio trajecto versu 814 post v. 816. Versus 815 sqq. construendi cum verbis *οὔποτε πάγκακον ἦμαρ;* tum et asyndeton evitatur, nec sententia offendit v. 719 de aperiendo dolio; *τετρὰς* quidem justum tempus, sed *πρωτίστη εἰνὰς* non intempesta. Itaque sic scribe:

καὶ οὔποτε πάγκακον ἦμαρ,
ἄρξασθαί τε πίθου καὶ ἐπὶ ζυγὸν αὐχένα θεῖναι
βουσὶ καὶ ἡμιόνοισι καὶ ἵπποις ὠκυπόδεσσι.
παῦροι δ' αὖτε ἴσασι τρισεινάδα μηνὸς ἀρίστην,
νῆα πολυκλήϊδα θοὴν εἰς οἴνοπα πόντον
εἰρύμεναι, παῦροι δέ τ' ἀληθέα κικλήσκουσι.
τετράδι δ' οἷγε πίθον sqq.

Nec vero Alexandrini a Plutarchea recensione admodum diversa usi sunt. Quae res cum per se probabilis sit, tum ex Anonymi scholiis pretiosissimis demonstari potest. Servatae enim sunt illorum notae ad vv. 1 sqq., 57, 79, 96, 97, 104, 169 sq., 210 sq., 304, 318 sq., 370 sq., 378, 530, 568, 649, 740, 828; paucis apposita nomina Aristarchi, Aristophanis, Cratetis, Didymi, Seleuci, sed omnes certe ad hos horumque discipulos referendae. Noverunt igitur illi carminis primarias partes omnes, prooemium, Pandoram, aetates, fabellam, proverbiorum partem priorem, opera, navigationem, proverbiorum alteram partem, dies. Si de singulis quaeris, ulla intra illud tempus, quod est inter Plutarchi Alexandrinorumque aetatem, intercidisse non est veri simile. Ad quam suspicionem movendam certe non eo indicio uti licet, quod Proculus Plutarchusque non noverunt v. 120, ab uno Diodoro servatum, Hesiodea simplicitate insignem meritoque ab omnibus editoribus in textum receptum; quem si illi in suis libris invenissent, dignum sine dubio quem explicarent pluribus, habuissent. At non interciderat versus ille, sed probat, quod nemo in dubium vocare audeat, diversas *ἐκδόσεις* ab Alexandrinis in vulgus emissas fuisse, non ad universum quidem carmen differentes, nisi quod quidam

Diebus annecterent Ὀρνιθομαντεῖαν, sed in singulis tamen. Cujus rei quamvis duo versus memorabiles, ab Origene, qui centum fere annis post Plutarchum vixit, servati, a Spohnio et Vollbehrio textui post v. 120 inserti, a Goettlingio cautius in fragmentis incertae sedis positi, non sint satis manifesto indicio, (v. 406 et fragm. 224 Goettl., de quibus cf. Ranck. p. 8 sq., consulto praetereo,) certissima vestigia in nostris codd. mihi visus sum deprehendisse. Etenim ex sedecim versibus, quos in quibusdam codd. aliis alios deesse Goettlingius annotavit, tres tantum casu excidisse promptum et apertum est, ceteri omnes a grammatico aliquo ejecti fuerant, ex cujus editione codd. illos, qui eos omittunt, fluxisse necesse est. Etenim ita habent, ut obelo notatos fuisse aut certo sciamus, aut merito suspicari debeamus. Scribae errore omissi sunt v. 161 in uno Med., vv. 299 et 301 in Vindob. recentissimo. At consulto ut spurii, praeter Prooemium, quod in Vindob. III non legitur, ejecti sunt hi: *v. 93*, qui deest in Mediceo quinto, ab iis ex Hom. Odyss. 19, 360 additus, qui in versu proxime antecedente legerunt γῆρας, cf. Goettl. Spohn. ad h. l.; *v. 99*, quem et Plutarch. Consol. ad Apoll. non agnoscit, a quibusdam ejectus esse videtur, qui „falsa implicati erant opinione, hic quoque Jovem hominibus aversum fingi", Lehrs. p. 229; *vv. 169 sq.* ὡς φληναφάδεις ἐξοικίζουσι τῶν Ἡσιόδου. *Procul.*; *v. 310*, quem et Stobaeus omittit, ineptus merito habendus, de qua re disputabimus infra; *v. 318*, cum antecedente παρεμβεβλῆσθαι ἀπὸ τοῦ Ὁμήρου καὶ Πλούταρχος εἶπε. *Proc.*; *vv. 370 — 372* τούτους τινὲς ἐξέβαλον τοὺς στίχους. *Proc.*; *v. 413*, qui bene potest omitti; exhibet enim vetustum proverbium, Hesiodeo carmini postea adscriptum; *v. 422*, fortasse ideo ejectus, quod v. 807 idem datur praeceptum; denique *v. 662* in Medic. 5 erasus, notatus fortasse ab aliquo, ut v. 649; praeterea totus ille locus merito suspectus. Codicum, qui Hesiodea continent, familias quasdam, ut ajunt, dignoscere difficillimum, nec quisquam adhuc ausus est; natatu autem dignissimum hoc est, quod codex Mediceus quintus, saeculi XI, ex editione quadam fluxit diversa ab ea recensione, quam Proculus in manibus habuit; desunt enim in illo omnes vv., quos a quibusdam damnatos esse Proculus auctor est, vv. 169, 170, 310, 318, 370, 371, 372; deest praeterea v. 93, qui sero admodum adscriptus nec Proculo notus fuisse videtur; sed tamen non licet divinari, ad cujusnam grammatici editionem codex ille descriptus esse possit. Si mihi Lanzianas collationes ipsas licuisset examinare, confidentius fortasse affirmarem, quod nunc vix audeo in medium proferre, proferam tamen, ut me doctiores dijudicent. Videntur omnino tres diversae recensiones in codd. servatae esse, vulgata Proculi, quam exhibet Vaticanus secundus, altera correcta ad grammatici alicujus vel commentarium vel editionem Medicei, tertia recentissima Vaticani nr. 1332, de qua cf. v. 92, 134, 141, 199, 240, 265.

§. 2.

Sed mitto lubricam quaestionem quam nemo, opinor, ad liquidum perducet quid discrepaverint, edd., ab Alexandrinis grammaticis in lucem emissae; hoc autem nostro jure tenebimus, non posse justum argumentum afferri, quo probetur, post illos carminis formam universam esse immutatam, quam nemo sanus negabit, πίνῳ summae antiquitatis ita signatam esse, ut appareat, non a doctis ac elegantibus hominibus confectam, immo ne a Solone quidem vel Solonis aequali poeta profectam esse. Verum enim Apollonii, Antimachi, Stesichori, Solones nisi antiquitus traditam, omni videlicet arte compositionis carentem accepissent, injuncto sibi singula adornandi munere aliter profecto fuissent functuri. Praeterea nulla re probatur, vel Alexandrinis vel Platoni et Aristoteli antiqua exemplaria in manibus fuisse totius carminis exhibentia diversam formam et compositionem. Traditur quidem exstitisse prisca exemplaria ἀκέφαλα, quale vidit Praxiphanes, Theophrasti discipulus, (cf. Procul praef. ἐντυχεῖν φησὶν ἀπροοιμιάστῳ τῷ βιβλίῳ καὶ ἀρχομένῳ χωρὶς τῆς ἐπικλήσεως τῶν Μουσῶν ἐντεῦθεν οὐκ ἄρα;) simile quoddam Pausaniae monstrarunt Boeoti Heliconii, ἀφαιροῦντες τὸ ἐς τὰς Μούσας προοίμιον, Pausan. IX, 31, 4. Ex quo Pausaniae loco etiam hoc convincitur, fuisse qui Ἡμέρας

ab Ἔργοις disjungerent. Satis enim ex ejus verbis patet, in vetusto illo molybdo Dies non simul conscriptos fuisse. Dixerunt illi *παρειλημμένη δόξη, ὡς ἄλλο Ἡσίοδος ποιῆσαι οὐδὲν ἢ τὰ Ἔργα;* paullo post pergit: *ἐγγέγραπται δὲ (τῷ μολύβδῳ) τὰ Ἔργα.* Non dicit *ἔργα καὶ ἡμέραι,* quo tamen vulgato carminis titulo consulto postea utitur. Ait enim, esse quidem qui contendant, non sola Opera genuinum Hesiodi fetum esse, sed confecisse illum heroogoniam, Eoeas, Theogoniam, Melampodiam, alia, *καὶ ὅσα ἐπὶ Ἔργοις τε καὶ Ἡμέραις.* Nescio num idem sentiat Goettling. praef. ed. sec. LVII; qui ex hoc Pausaniae loco rectius conclusisset, in quibusdam exemplaribus Dies non exhibitos fuisse, quam ex Aristoph. loco, qui legitur Ran. v. 1034, Dind., Aristophanem non novisse videri *Ἡμέρας*[1]. Praeterea facile quis demonstret, jam ante Alexandrinorum aetatem in singulis versibus exemplaria non minus variasse, quam grammaticorum editiones ac nostros codices. Habemus duos locos Platonis, quibus vv. 122 sq. aliter atque in codd. et a Proculo exhibentur; exstat locus quidam Philodemi, quo probatur, quosdam non legisse v. 416 cf. Goettl. ad h. l. Ranck. p. 8. Plura nunc non suppetunt; sed exstant fortasse Aristotelis aliorumque loci, quorum scriptorum mihi nunc facta non est copia pervolvendorum; nec vero quisquam adhuc eandem Operibus operam tribuit quam Muetzellius ac Lennepius praestiterunt Theogoniae. Operae tamen pretium foret, omnes colligere Graecorum Romanorumque scriptorum locos, quibus versus ex carmine nostro desumpti aut citantur aut respiciuntur aut imitatione exprimuntur. Quamquam jam nunc persuasissimum est, hujusmodi collectione instituta, utilissima ad historiam criticam textus, quem vocant, cognoscendam, fortasse in clariore luce positum iri id, quod supra indicavimus, diversas olim in singulis recensiones Operum circumlatas fuisse; ut hymni Homerici in Apoll. Del. colligitur ex loco Thucydidis 3, 104; sed numquam id effectum iri, ut probetur vel indiciis vel testimoniis, aut plenius aut brevius quam nos habemus carmen illud olim a veteribus lectum esse. (Quam rem frustra studuisse in Theogonia probare Muetzellium, dissertatione et doctrina et sagacitate insigni de falsis indiciis lacunarum Hesiodeae Theogon. demonstravit Schoemannus.)

Jam enim luculentis argumentis demonstrabo, *eandem carminis formam jam Simonidis Cei aetate in vulgus notam fuisse.* Concedes enim, opinor, meo jure me hoc contendere, si probaturus fuerim, certo aliquo tempore carminis primarias partes exstitisse, simul me idem comprobasse de universa carminis adornatione, nec casu orta, nec recens effecta. Nam ut vel post Aristotelis aetatem quaedam in hoc Hesiodeum corpus migraverint, (v. 406 migrasse non probavit Lehrsius p. 192;) totius carminis forma et compositio tum nec inventa est nec immutata.

Constat carmen nostrum, praeter Dies, majoribus partibus duabus; posteriore, quae Opera continet, priore, qua varia tractantur argumenta. Videamus primum Opera, quorum septem partes inde a v. 405 usque ad v. 617 tam continuo filo decurrunt, ut singulae a diversis poetis profectae esse nullo pacto queant, atque consequatur etiam, ut, si quis unam aliquam nosse videatur, is ceteras quoque cognitas habuisse sit putandus. Jam vero juvat animadvertere, quam hocce de re rustica carmen antiquissimi Graeci in summis habuerint deliciis, atque ita totum imbiberint, ut non solum pulcherrimos locos imitati sint, sed verba ipsa in suum usum converterint, paululum videlicet commutata. Cujus rei antiquissimum testimonium petere licet ex *Alcaei* fragmento 39, Bergk.

---

[1]) Verba haec sunt: Ἡσίοδος δὲ (ἔδειξεν)
γῆς ἐργασίας, καρπῶν ὥρας, ἀρότους. ὁ δὲ θεῖος Ὅμηρος
* * * * * * * *
τάξεις, ἀρετάς, ὁπλίσεις ἀνδρῶν.

Respicitur primarium poesis Hesiodeae argumentum; nec vero non novisse illum vel Dies vel priorem partem Operum ex his verbis rectius concludas, quam ex proxime insequentibus non novisse Odysseam.

Τέγγε πνεύμονα Fοίνῳ· τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται,
ἀ δ' ὤρα χαλέπα, πάντα δὲ δίψαισ' ὐπὰ καύματος.
ἄχει δ' ἐκ πετάλων Fάδεα τέττιξ, πτερύγων δ' ὔπα
καχχέει λιγύραν πύκνον ἀοίδαν * * *
* * * * * * * *
ἄνθει δὲ σκόλυμος· νῦν δὲ γύναικες μιαρώταται,
λέπτοι δ' ἄνδρες, ἐπεὶ καὶ κεφάλαν καὶ γόνα Σείριος
ἄζει.

Haec ad verbum fere Operum respondent vv. 582 — 589:

ἦμος δὲ σκόλυμός τ' ἀνθεῖ καὶ ἠχέτα τέττιξ
δενδρέῳ ἐφεζομένη λιγυρὴν καταχεύετ' ἀοιδὴν
πυκνὸν ὑπὸ πτερύγων, θέρεος καμαώδεος ὥρῃ,
τῆμος πιόταταί τ' αἶγες καὶ οἶνος ἄριστος,
μαχλόταται δὲ γυναῖκες, ἀφαυρότατοι δέ τε ἄνδρες
εἰσίν, ἐπεὶ κεφαλὴν καὶ γούνατα Σείριος ἄζει,
αὐαλέος δέ τε χρὼς ὑπὸ καύματος. ἀλλὰ τότ' ἤδη
εἴη πετραίη τε σκιὴ καὶ βίβλινος οἶνος.

Sequatur locus Theognidis, cujus si memor fuisset Goettlingius, ultimos duos vv. fragmenti, quod modo attulimus, non abjudicasset Alcaeo tamquam serviliter ex Hesiodo expressos. Exstat locus ille ap. Theogn. vv. 1197 — 1200, cujus venustatem eo, quod ad antiquissimi poetae dictum alluditur, mirum quantum augeri nemo non sentit.

Ὄρνιθος φωνήν, Πολυπαΐδη, ὀξὺ βοώσης
ἤκουσ', ἥτε βροτοῖς ἄγγελος ἦλθ' ἀρότου
ὡραίου καί μοι κραδίην ἐπάταξε μέλαιναν,
ὅττι μοι εὐανθεῖς ἄλλοι ἔχουσιν ἀγρούς,
οὐδέ μοι ἡμίονοι κύφων' ἕλκουσιν ἄροτρον,
* * * * εἵνεκα ναυτιλίης.

Cum his confer, quae apud Hesiodum leguntur vv. 448 — 451.

Φράζεσθαι δ', εὖτ' ἂν γεράνου φωνὴν ἐπακούσῃς
ὑψόθεν ἐκ νεφέων ἐνιαύσια κεκληγυίης·
ἥτ' ἀρότοιό τε σῆμα φέρει, καὶ χείματος ὥρην
δεικνύει ὀμβρηροῦ· κραδίην δ' ἔδακ' ἀνδρὸς ἀβούτεω.

Sed quo magis etiam appareat, veteres non fastidivisse, aliorum poetarum praeclare dicta ad verbum sua facere, statim apponam *fragm. 5 Simonidis Amorgini*, quod non ad opera quidem pertinet, sed ad locum de uxore ducenda, qui Navigationem proxime insequitur. Verba Simonidis haec sunt:

γυναικὸς οὐδὲν χρῆμ' ἀνὴρ ληΐζεται
ἐσθλῆς ἄμεινον οὐδὲ ῥίγιον κακῆς.

Hesiodi vv. 702 sq. sic sonant:

οὐ μὲν γάρ τι γυναικὸς ἀνὴρ ληΐζετ' ἄμεινον
τῆς ἀγαθῆς, τῆς δ' αὖτε κακῆς οὐ ῥίγιον ἄλλο.

Hoc loco in mentem venit fragmenti tertii *Phocylidis*, cujus initium:

καὶ τόδε Φωκυλίδεω· τετόρων ἀπὸ τῶνδε γένοντο
φῦλα γυναικείων· ἡ μὲν κυνός, ἡ δὲ μελίσσης sqq.

quo comprobatur, vera esse quae supra diximus, adamasse veteres Graecorum poetas aliorum praeclare dicta in usum suum convertere. Phocylides enim nihil fere aliud fecit, nisi ut paucis versibus com-

prehenderet, quae Simonides Amorginus in carmine *περὶ γυναικῶν* latius erat persequutus. De qua re cf. etiam Simonid. Cei fr. 60, Schneidewin.

Quarto loco commemorandus Pindarus, qui Hesiodi dictum *μελέτη δέ τοι ἔργον ὀφέλλει* v. 412 laudat Isthm. VI, 66, Boeckh, sic:

μελέταν ἔργοις ὀπάζων Ἡσιόδου μάλα τιμᾷ τοῦτ' ἔπος.

Sed *Pindari* hocce carmen cum post Persica bella conscriptum videatur, (Boeckh. conjecit Ol. 80, 1 scriptum esse,) eo fere non demonstratur, quod volui. Adscripsi tamen, ut intelligatur, praeter Homerum nullum poetam videri ita adamatum ab antiquissimis Graecis fuisse ut Hesiodum. Quod cum animadvertissem, diligentius in eam rem inquisivi, nec paucos repperi locos, quibus Operum versus expressi esse videantur. Sunt autem hi:

Archilochi, Simonidis fere aequalis, fr. 55, Bergk.

ἔλπομαι, πολλοὺς μὲν αὐτῶν Σείριος καταυανεῖ
ὀξὺς ἐλλάμπων...

Alcmanis fr. 76, Bergk:

ὅπως ἀνὴρ ἐν ἀσμένοισιν ἀλιτηρὸς
ἧστ' ἐπὶ θάκοισι κάτω πέτρας.

Uterque respicit ad locum venustissimum, quem et ab Alcaeo expressum esse supra indicavimus, vv. 582—595.

Sequens versus 596, qui de vino aqua temperando praescribit, *τρὶς ὕδατος προχέειν, τὸ δὲ τέτρατον ἱέμεν οἴνου* obversabatur *Xenophani Colophonio* sic scribenti:

οὐδέ κεν ἐν κύλικι πρότερον κεράσειέ τις οἶνον
ἐγχέας, ἀλλ' ὕδωρ καὶ καθύπερθε μέθυ.

Stesichorus versum venustissimum de hirundine veris nuntia in mente habuit, ut Theognis eum, qui est de grue arationis indice, Alcaeus de cicada.

Fr. 35 *ὅταν ἦρος ὥρᾳ κελαδῇ χελιδών.*

Quocum cf. vv. 568 sq.:

τὸν δὲ μετ' ὀρθογόη (vel *ὀρθοβόη*) *Πανδιονὶς ὦρτο χελιδὼν*
ἐς φάος ἀνθρώποις ἔαρος νέον ἱσταμένοιο.

Aeschyli aetate vulgatam fuisse hiemis descriptionem, quam multi negant genuinam esse, ego pro germana ac Hesiodea habeo, colligitur ex loco Agamemn. v. 80, ubi *τόθ' ὑπέργηρως τρίποδας μὲν ὁδοὺς στείχει* dixit, memor sine dubio, Oper. vv. 533 sq.

τότε δὴ τρίποδι βροτῷ ἶσοι,
– – – – –
τῷ ἴκελοι φοιτῶσιν.

Haec deprehendi, quae ad praecepta rustica videntur pertinere, ad *ναυτιλίην* quod sit referendum, unum tantum et incertum habeo, *Theognidis*, qui Opp. verss. 684 sqq.

ἀλλά νυ καὶ τὰ
ἄνθρωποι ῥέζουσιν αἰδρείῃσι νόοιο·
χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.
δεινὸν δ' ἐστὶ θανεῖν – sq.

sic expressit vv. 229 – 233, Welker.

χρήματά τοι θνητοῖς γίνεται ἀφροσύνη.
ἄτη δ' ἐξ αὐτῆς ἀναφαίνεται sqq.

Cf. Solonis Fr. 12, v. 74 sqq. Bergk.

Sed de praeceptorum rusticorum et nauticorum integritate satis constat nec dubitat quisquam;

de iis, quae Navigationi annexa sunt, multi dubitarunt. Sed de loco, qui est de ducenda uxore, vv. 685—705, supra attulimus Amorgini Simonidis testimonium; unde antiquissimum hunc locum esse constat, ac pro Hesiodeo jam ab Simonide habitum fuisse probabile est; nam Opera illum nosse infra demonstrabo; illud vero nemo affirmaverit aut negaverit, num jam tum conjunctus cum Operibus fuerit circumlatus.

Quae inde a v. 706 usque ad v. 764 sequuntur praecepta religiosa, non omnia sub Hesiodi nomine vulgata fuisse, summa cum probabilitate concludere licet ex nonnullis locis Diogenis Laertii, qui *Chiloni* tribuit praeceptum, quod exstat v. 721, *Pythagorae* ea, quae exhibentur vv. 727, 742 et 743, 748 et 749; Aristarchus obelo notavit v. 740. Nihil aliud nisi farraginem vel proverbiorum vel a diversis philosophis et poetis acute et prudenter dictorum esse, luce clarius est. Difficile igitur dictu, quando haec omnia sic, ut nos legimus, disposita et in vulgus nota fuerint. Fortasse autem jam *Theognidis* aetate pleraque erant congesta. Is enim, quem Hesiodi imitatorem et amatorem fuisse supra demonstravimus, proverbium, quod continetur vv. 717 et 718:

Μηδέ ποτ' οὐλομένην πενίην θυμοφθόρον ἀνδρὶ
τέτλαθ' ὀνειδίζειν, μακάρων δόσιν αἰὲν ἐόντων,

ad verbum fere expressit sic: cf. vv. 155—158, Welk.

Μή ποτέ τοι πενίην θυμοφθόρον ἀνδρὶ χολωθεὶς
μηδ' ἀχρημοσύνην οὐλομένην πρόφερε·
Ζεὺς γάρ τοι τὸ τάλαντον ἐπιῤῥέπει ἄλλοτε ἄλλως,
ἄλλοτε μὲν πλουτεῖν, ἄλλοτε μηδὲν ἔχειν.

Empedocles novit v. 742:

μηδ' ἀπὸ πεντόζοιο θεῶν ἐν δαιτὶ θαλείῃ sq.

Nam figuram, quae inest in voce *πέντοζος*, sic imitatus est,

οὐδ' ἀπό οἱ νώτων γε δύω κλάδοι ἀίσσουσι.

De quo loco cf. Goettling. praef. XXI, ed. sec., et quem ille laudat, Karsten. in ed. reliq. Empedocl. p. 138.

Dierum versum a vetere aliquo poeta citatum aut expressum non potui investigare.

Sed examinemus carminis nostri partem priorem, quae continetur vv 11—382, compositam sex majoribus et continuis poematis, quibus hos fere titulos possis addere, *τὸ ἐς τὰς Ἔριδας*, *Πανδώρα καὶ πιθοιγία*, *γενεαί*, *αἶνος*, *τὸ ἐς τὴν ἀρετήν*, *παραινέσεις παιδευτικαί.* Horum carminum primum, secundum, quartum, quintum conjungenda esse, et conjuncta exhibere genuinum et antiquissimum carmen, ab Hesiodo fratri Persae dedicatum, et supra indicavi, et conabor infra demonstrare. Haec autem ea forma, quam dico, olim litteris consignata et in vulgus emissa fuisse, cum probabile videatur, dubium non potest esse, quin illud carmen quod de aetatibus agit, cum proverbiis multo magis turbet carminis continuitatem, postremo et recentissime sit additum. Jam vero, cum probabile nullo pacto esse possit, ut supra diximus, diversi argumenti poemate, Hesiodeo fortasse et antiquissimo, sed alieno utique, ineptissimo loco inserendo genuini carminis continuitatem et integritatem dissolvi et conturbari potuisse Simonidis demum vel Theognidis aetate, cum ex artis poeticae legibus quibusdam et regulis etiam longiora carmina componere diu consuevissent, inde, quod Simonides Ceus et Theognis certissime noverunt carmen de aetatibus, colligi posse videtur jam ante tempora bellorum Persicorum eandem, quam nos habemus, universi carminis formam et adornationem in vulgus notam fuisse.

Jam veterum poetarum testimonia afferam ad ordinem carminum singulorum.

Τὸ εἰς Ἔριδας omnibus notum fuisse Themistoclis aequalibus testis est *Timocreon Rhodius*, qui initium (*οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην*) parodice imitando expressit:

οὐκ ἄρα Τιμοκρέων μοῦνος ὃς Μήδοισιν ὁρκιατομεῖ,

ἀλλ' ἐντὶ κἄλλοι δὴ πονηροί, οὐκ ἐγὼ μόνα κόλουρις·
ἐντὶ καὶ ἄλλαι ἀλώπεκες.

Timocreon ionicam formam μοῦνος servavit, ut apertius alluderet ad Hesiodi dictum Quam rem bene perspexit Vollbehr., qui illum locum affert, p. 22, in annot. Itaque non reponenda dorica forma, ut *Ahrensius* fecit, in libro de dialecto dorica, p. 478, sic scribens:

οὐκ ἆρα Τιμοκρέων μόνος Μήδοισιν sqq.

Pandorae extremos versus 96 sqq.

μοῦνος δ' αὐτόθι Ἐλπὶς ἐν ἀῤῥήκτοισι δόμοισι
ἔνδον ἔμιμνε * * * * *
ἄλλα δὲ μυρία λυγρὰ κατ' ἀνθρώπους ἀλάληται.
πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα,
νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ ἠδ' ἐπὶ νυκτὶ
αὐτόματοι φοιτῶσιν — — —

Simonidi Amorgino obversatos esse neminem latebit haec legentem; (fragmentum cum longius sit, non apponam nisi ea quae rem maxime illustrant:)

Ὦ παῖ, τέλος μὲν Ζεὺς ἔχει βαρύκτυπος
πάντων ὅσ' ἔστι —
νόος δ' οὐκ ἐπ' ἀνθρώποισι, ἀλλ' ἐφήμεροι
δὴ ζῶμεν — — —
— — — — —
ἐλπὶς δὲ πάντας κἀπιπειθίη τρέφει
ἄπρηκτον ὁρμαίνοντας. — —

Jam pluribus exponit mille leti vias, dein sic pergit:

οὕτω κακῶν ἄπ' οὐδὲν, ἀλλὰ μυρίαι
βροτοῖσι κῆρες, κἀνεπίφραστοι δίαι
καὶ πήματ' ἐστίν.

Tristi et moroso animo Simonidem fuisse et ex aliis ejus fragmentis constat, nec necesse est, haec et similia illum ex Hesiodo duxisse ut statuamus; puto tamen adamatum ab eo Hesiodum fuisse, unde ille tristitiam et acerbitatem suam aluit, Solon pietatem.

Ceterum eandem fere morositatem prae se fert Simonides Ceus Fr. 56, ibique vid. Schneid., non oblitum Hesiodi:

τοιάδε θνατοῖς κακὰ κακῶν ἀμφί τε κῆρες εἰλεῦνται.

Sequitur carmen de aetatibus, unde *Simonidem Ceum* mutuatum esse ea, quae de semideorum vita periculis infestata eorumque praematuro obitu tradit fr. 51, summo jure contendit *Schneidewinus*. Verba haec sunt:

οὐδὲ γὰρ οἳ πρότερόν ποτ' ἐπέλοντο,
θεῶν δ' ἐξ ἀνάκτων ἐγένονθ' υἷες,
ἡμίθεοι, ἄπονον οὔτ' ἄφθιτον
οὔτ' ἀκίνδυνον βίον ἐς γῆρας
ἐξίκοντο τελέσαντες.

Cum his conferas nostri carminis vv. 156 sqq.

Sed ante Simonidem quaedam ex his imitatus est *Theognis*, cujus prope omnis poesis quasi fluxit ex nostro carmine. Versum 185:

αἶψα δὲ γηράσκοντας ἀτιμήσουσι τοκῆας

prope ad verbum expressit v. 821, Bergk.

οἳ δ' ἀπογηράσκοντας ἀτιμάζουσι τοκῆας,
τούτων τοι χώρη, Κύρν', ὀλίγη τελέθει.

Ex eadem descriptione aetatis quintae, maxime ex vv. **187**, **190**, **194**, **197** sqq. coll. v. **96**, **315**, **320** sqq.

οὐδέ τις εὐόρκου χάρις ἔσσεται οὔτε δικαίου,
* *
οὐκ ἔσται, βλάψει δ' ὁ κακὸς τὸν ἀρείονα φῶτα
μύθοισι σκολιοῖς ἐνέπων, ἐπὶ δ' ὅρκον ὀμεῖται,
* * * *
καὶ τότε δὴ πρὸς Ὄλυμπον ἴτον προλιπόντ' ἀνθρώπους
Αἰδὼς καὶ Νέμεσις, τὰ δὲ λείψεται ἄλγεα λυγρά.

manifesto ducti sunt Theogn. vv. **1135** sqq.

Ἐλπὶς ἐν ἀνθρώποισι μόνη θεὸς ἐσθλὴ ἔνεστιν,
ἄλλοι δ' Οὔλυμπόνδ' ἐκπρολιπόντες ἔβαν.
ᾤχετο μὲν Πίστις μεγάλη θεός, ᾤχετο δ' ἀνδρῶν
Σωφροσύνη· Χάριτές τ', ὦ φίλε, γῆν ἔλιπον.
ὅρκοι δ' οὐκέτι πιστοὶ ἐν ἀνθρώποισι δίκαιοι,
οὐδὲ θεοὺς οὐδεὶς ἅζεται ἀθανάτους.
εὐσεβέων δ' ἀνδρῶν γένος ἔφθιτο, οὐδὲ θέμιστας
οὐκέτι γινώσκουσ' οὐδὲ μὲν εὐσεβίας.
ἀλλ' ἔφρα τις ζώει καὶ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο,
εὐσεβεέων περὶ θεοὺς Ἐλπίδα προσμενέτω.
* * * * *
φραζέσθω δ' ἀδίκων ἀνδρῶν σκολιὸν λόγον αἰεί,
οἳ θεῶν ἀθανάτων οὐδέν' ὀπιζόμενοι,
αἰὲν ἐπ' ἀλλοτρίοις κτεάνοις ἐπέχουσι νόημα.

Αἶνος quin Archilocho notus fuerit, quis dubitat? Nec enim ab Aesopo aut Archilocho fabularum ethicarum apud Graecos origo repetenda, sed ab Hesiodo, cf. Schol. Aristid. p. 728. Quinctil. Jnst. V, 11 (*videtur earum primus auctor Hesiodus.*) Goettling. praef. XX. Itaque cum per se probabile sit, fabellarum in carminibus admittendarum Hesiodum auctorem fuisse Archilocho, exstat etiam Archilochi fragmentum, ex quo elucet eum *αἶνον* Hesiodeum *novisse*. Nam versus quidem **276—279**,

τόνδε γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων
ἰχθύσι μὲν καὶ θηρσὶ καὶ οἰωνοῖς πετεηνοῖς,
ἐσθεῖν ἀλλήλους, ἐπεὶ οὐ δίκη ἐστὶν ἐν αὐτοῖς,
ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην.

ante oculos habuisse putandus est, cum haec scriberet, fr. **79**, Bergk.

ὦ Ζεῦ, πάτερ Ζεῦ, σὸν μὲν οὐρανοῦ κράτος,
σὺ δ' ἔργ' ἐπ' ἀνθρώπων ὁρᾷς,
λεωργὰ καὶ θεμιστά, σοὶ δὲ θηρίων
ὕβρις τε καὶ δίκη μέλει.

Num Schneidewin. in corpor. fragm. lyric. propter nostri loci similitudinem ultimo versu scripserit *κἀδικίη* nescio; bene autem memini, eum de hac re olim cogitare. Quamquam corrigenda non sunt verba.

Ad fabellam Hesiodeam de accipitre et columba possit Archilochus allusisse videri illo *μή τευ μελαμπύγου τύχῃς*, quod de accipitre ab eo dictum esse memorat schol. Il. **10**, **315**.

Locos clarissimos de vitanda injustitia, deorumque pertimescenda ultione, de opibus juste

parandis, vv. **214—219**; **238—247**; **320—326**, *Solon* splendidissimis versibus expressit, qui leguntur in elegia, (**12** Bergk.,) cujus initium:

Μνημοσύνης καὶ Ζηνὸς Ὀλυμπίου ἀγλαὰ τέκνα,
Μοῦσαι Πιερίδες, κλῦτέ μοι εὐχομένῳ.

Conferendi imprimis vv. **7** **35**.

Iidem videntur Theognidi in mente fuisse, velut vv. **171** sqq.; **197** sqq.; praeterea ad Opp. vv. **270** sqq. cf. Theogn. vv. **343** sqq.

Τὸ ἐς τὴν Ἀρετὴν, cujus initium est:

τὴν μέν τοι κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἔστιν ἑλέσθαι,
τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν,

exornavit *Simonides Ceus*, fr. **32**, Schneidew.

ἔστι δέ τις λόγος
τὰν Ἀρετὰν ναίειν δυσαμβάτοις ἐπὶ πέτραις,
ἁγνὰν δέ μιν θεὰν χῶρον ἁγνὸν ἀμφέπειν.
οὐδὲ γὰρ πάντων γλεφάροις θνατῶν ἔσοπτος,
ᾧ μὴ δακέθυμος ἱδρὼς ἔνδοθεν
μόλῃ, ἵκῃ τ' ἐς ἄκρον ἀνδρείας.

Proverbiorum, a diversis sine dubio congestorum, nonnulla cognita fuisse videntur *Theognidi, Pindaro*, aliis.

V. **327**, *ἶσον δ' ὅς θ' ἱκέτην ὅστε ξεῖνον κακὸν ἔρξῃ.*

Theognis vv. **143** sq. sic expressit:

Οὐδείς πω ξεῖνον, Πολυπαίδη, ἐξαπατήσας
οὐδ' ἱκέτην θνητῶν ἀθανάτους ἔλαθεν.

Vv. **336** sqq. idem vv. **171** sq.:

θεοῖς εὔχου, θεοῖσιν γὰρ ἔπι κράτος, οὔτοι ἄτερ θεῶν
γίνεται ἀνθρώποις οὔτ' ἀγάθ' οὔτε κακά.

Ad v. **346** de bono vicino cf. Pindar. Nem. VII, **130**, quem locum affert Goettl., et Alcmanis fr. **34**

μέγα γείτονι γείτων.

Verba (v. **353**) *καὶ τῷ προσιόντι προσεῖναι* mihi quidem non videntur similia Theognideis his, quae Goettlingius conferri jubet: vv. **467** sq.

μηδένα μήτ' ἀέκοντα μένειν κατέρυκε παρ' ἡμῖν
μήτε θύραζε κέλευ' οὐκ ἐθέλοντ' ἰέναι.

His enim versibus et sequentibus sermo est de potatione commodissime instituenda; vetatur Simonides convivorum quemquam impedire, ne abeat, veniat, dormiat, vigilet; ne unquam obliviscatur infundere merum. V. **365** legitur Hymn. Merc. v. **36**; Aeschyl. Sept. v. **182** citat Goettling. ed. sec.

V. **372** *πίστεις δ' ἄρ τοι ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας*

respexisse videtur Theognis vv. **831** sq.

Πίστει χρήματ' ἀπώλεσ', ἀπιστίῃ δ' ἐσάωσα·
γνώμη δ' ἀργαλέη γίνεται ἀμφοτέρων.

Idem vv. **179** sq. Operum argumentum paucis comprehendit:

χρὴ γὰρ ὁμῶς ἐπὶ γῆν καὶ ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης
δίζησθαι χαλεπῆς, Κύρνε, λύσιν πενίης.

Quae in mentem revocant Opp. vv. **403** sq.

ἀλλά σ' ἄνωγα
φράζεσθει χρειῶν τε λύσιν λιμοῖ τ' ἀλεωρήν.

Ultimo loco ut comprobem transeundi formulam v. 202:

νῦν δ' αἶνον βασιλεῦσιν ἐρέω,

non ita ineptam et invenustam esse, ut a compositore potius aliquo quam a poeta ipsoque Hesiodo inserta videri debeat, apponam duas formulas simillimas easque vetustas et a bonis poetis usurpatas, alteram Stesichori, fr. 61, Bergk.

μέτειμι δ' ἐφ' ἕτερον προοίμιον,

alteram Xenophanis, fr. 6, ibid.

νῦν αὖτ' ἄλλον ἔπειμι λόγον, δείξω δὲ κέλευθον;

Negari quidem nequit a compositoribus passim insertas esse formulas, ut initium Epigonorum

νῦν αὖθ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν ἀρχώμεθ' ἀείδειν.

Theogon. 96. *νῦν δὲ θεάων φῦλον ἀείσατε* sqq.
ibid. v. 1021, *νῦν δὲ γυναικῶν φῦλον ἀείσατε* sqq.
Hom. Il. *Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι.*

§. 3.

His mihi quidem comprobasse videor, verum esse quod supra diximus quodque non allatis quidem testimoniis contendit Ranckius, eandem recensionem, quam nos habemus, ab antiquissima illa, quam Theognis, Solon, Archilochus noverunt, si totum carmen spectetur, non nimis diversam fuisse. At vero illud minime his quidem demonstratur, nec potest demonstrari, Solones, Pindaros, Platones, quamvis omnia, quae in hoc carmine exhibentur, pro Hesiodeis haberent, simul etiam sine offensione legisse tamquam bene conjuncta et arcte nexa et ab uno certoque poetae consilio pendentia. De recensionis antiquitate longe alia quaestio est ac de carminis continuitate. Miror profecto Ranckium, qui eorum, qui Opera in mille frustula dissecare ausi sunt, quodam odio abreptus, haec scripserit in extrema dissertatione prima, unum et continuum carmen nostrum esse, Graecorum Romanorumque chorum amplissimum una et consentiente voce affirmare. Vellem, placuisset viro doctissimo vel unum locum adscribere, quo id comprobaretur. De continuitate hujusce carminis quantum equidem sciam, nemo veterum ne verbum quidem usquam dixit. Sed ponamus, ut inveniatur hujuscemodi dictum vel Apollonii vel Aristarchi*), num horum grammaticorum ea deberet esse auctoritas, ut ne inquirendum quidem esset, quibus illi rationibus ducti, quibus nixi argumentis talia auderent proferre? Dicam libere, quid sentiam. Praejudicata videlicet opinione praepeditus Ranckius non perspexit ea, quae in oculis sunt posita. Contemnebat ille et spernebat criticae artis audaciam, tum maxime, cum primam dissertationem suam descripsit, luxuriantem; sed vereor, ne ita spreverit, ut omnem sustulisse criticam et rationem videatur. Stabit enim haec lex, ut critice tum demum recte exerceatur, si ab licentia et a contemptu antiquitus traditorum pariter abhorreat atque a vetera tuendi quodam religioso studio. Quamobrem collaudandus Ranckius, quod in singulis dijudicandis commonuit summa opus esse cautione, vituperandus autem, quod moderationi suae modum non adhibuit, ac, ne quidquam abjiceret, justam interpretationem passim neglexit.

Nostra autem omnis quaestio, quae est de consilio poetae, de nexu sententiarum, de continuitate partium singularum, nullis nititur historiae testimoniis, nulla veterum auctoritate, sed a ratione, a recto judicio, a sensu pulcri, a notitia proprietatis sermonis Hesiodei, *τοῦ χαρακτῆρος Ἡσιοδείου*, et nunc pendet, et olim pependit. Num quid mirum igitur, si qui etiam olim exstiterunt Twestenii Lehrsiique, contra quos passim pugnare videtur Proculus? (De qua re cf. Ranck. p. 13.) Quos autem alios fuisse antiquos istos Twestenios dicamus, nisi *τοὺς ἀμφὶ Ἀρίσταρχον, Ἀπολλώνιον*? Non du-

*) Themistii non est pluris aestimanda quam Proculi auctoritas. Ranck. p. 41 Bernhard. Hist. litt. gr. II, p. 180 sq.

bitavere illi non modo paucos versiculos obelo notare, sed eo procedere etiam, ut totas rhapsodias Homero, tota carmina, ut Ὀρνιθομαντείαν, Θεογονίαν, Scutum, prooemium Operum, fortasse Dies etiam abjudicarent Hesiodo? Alexandrinorum vestigia sequuti, Plutarchus totam fortasse hiemis descriptionem, Pausanias vv. 646—662 non genuinos judicarunt. Num igitur audacia minus ferenda, ex Operibus eliminare aetatum narrationem ac proverbiorum farraginem?

Itaque audaciae crimen, nisi in veteres criticos, Plutarchum, Pausaniam, Aristarchum, simul cadat, a me alienum erit; atque mea omnis res in eo vertetur, ut iis, quae supra indicavi, argumentis quidem allatis probem carminis dispositionem conturbari, tolli singularum partium nexum, pessumdari compositionis artem. Verum enim hoc quidem, quod omnium maxime persuasum habeo, communes artis poeticae leges ac regulas esse etiam ab Hesiodo, antiquissimo quidem poeta, observatas, hoc quidem inquam, si falso a me poni ac posci unquam constaret, illud equidem profiteor, taedio pessimi carminis eo me captum fore, ut ad hunc poetam ejusque carmina perlegenda vix unquam ausurus sim reverti. Sed illud, opinor, numquam constabit inter eos quidem, qui aliquo sensu pulcri sunt praediti, nec hi fidem habebunt, dum argumentis probabilibus evicerit, Lennepio, in praefatione Theogoniae, p. VIII, haec contendenti, *justam suspicandi caussam esse, illo tempore, quo Hesiodus vixit, poetas fere magis ingenio quam arte valuisse, artemque poeticam tum longe a perfectione adhuc abfuisse. Esse autem artis, ejusque jam excultae disponere.* Non is ego sum, qui negem, suas cuique carminum generi rationes scriptas esse poetasque singulos singulares quasdam carminum rationes, ab aliorum consuetudine recedentes, sequi solere, hoc autem nunquam potero in animum inducere, ut credam, Hesiodo licuisse artis leges primarias migrare simulque carmen nostrum, ea forma, qua prooemium, aetates, proverbia, Dies, immo Ornithologiae exordium cum iis, quae ad Persen conscripta sunt, conjunguntur, ut videantur unum idemque argumentum primarium persequi, ad ullas leges et regulas artis poeticae etiam minime perfectae et excultae esse dispositum. Nonne autem insignis et maxime conspicua ars poetae cernitur in illis disponendis quae ad rem rusticam, quae ad navigationem spectant? Praemittit universa et communia praecepta, subjungit singularia; proficiscitur a stellarum ortu, suo quamque loco immiscet hiemis, veris, aestatis suavissimam descriptionem, quae animalia quodque anni tempus annuntient, nusquam narrare negligit cf. vv. 448, 524, 571, 582. Quum igitur appareat in posteriore parte carminis judicium, consilium, ratio, suo quaeque loco, apte, aequaliter, venuste tractandi studium, num in priore eundem poetam credas longum, invenustum, molestum fuisse? Ardor quidam et impetus animi, verborum concinnitas, versuum quaedam ab Homericorum volubilitate paullulum recedens austeritas, unus idemque et sermonis et sententiarum χαρακτήρ, ab Alexandrinis bene observatus, in genuinis et posterioris et prioris partis locis ita exsplendescit, ut ab uno eodemque poeta et priora et posteriora scripta esse facile agnoscas. In singulis autem si idem agnoscitur, eandem manum etiam in totius carminis dispositione deprehendi necesse erit. Ac deprehenditur sane, abjectis scilicet illis, quas dixi, partibus. Scite et venuste praeparat uniuscujusque argumenti quod persecuturus est, tractationem fabula ingeniosa et venusta praemissa, tum ad fratrem conversus a semet ipso ac suis rebus sensim ad ea pergit, quae scire et doceri omnium interest; quod dubium esse nemini poterit, qui ea, quae in limine meae disputationis professus sum a me pro genuinis haberi, conjunctim et uno tenore perlegerit. Sunt autem genuina et cohaerent optime, eandemque fere artem prae se ferunt et indolem haec: Fabula de duabus Contentionibus quaeque huic fabulae subjuncta sunt usque ad Aetates; fabula de accipitre et columba quaeque sequuntur, denique fabula de Virtute usque ad praecepta moralia. Primo loco cum poetae nihil aliud propositum sit, nisi ut fratrem doceat labore impigro opus esse ad vitam alendam, incipit a fabula Ἐρίδων, v. 11—26, pauca, quae ipsum spectant, immiscet vv. 27—41, ad ea denique pergit, quae docent, unde factum sit, ut laborem exercere omnes homines oporteat; secundo loco, quo justitia praecipienda fuit, fabella lepidissima ex-

orsus, de se suaque caussa tecte disserit, deinde latius persequitur, quae et singulorum et civitatum felicitas sit jus ac justitiam colentium, quae quamvis sera plerumque, certa tamen deorum ultio injustos consequatur; ultimo loco ad primum argumentum, quod erat de labore faciendo, revolvitur ita quidem, ut non doceat, labore omnino opus esse ad vitam sustentandam et paupertatem fugiendam, sed ad stabiles opes et certas comparandas; rem similiter disposuit; primum agit de Virtute, in montium cacumine degente, tum ad Persen ipsum se convertit, denique id, quod vult, argumentis comprobat. His absolutis ad ipsa praecepta rustica et nautica pergit apta usus transeundi formula, vv. 381 sq. Nullus enim dubito, quin georgicum et nauticum carmen bene adjungatur iis, quae praemissa sunt, primarium totius carminis condendi consilium cum hoc secutus esse videri debeat, ut fratrem ab ignavia ac turpitudine ad laboriosam et honestam vitam sic revocet, ut non solum commoneat eum ignaviae et nequitiae suae, sed etiam praecepta addat utilissima de victu quaerendo agricultura et navigatione recte institutis.

His expositis satis jam perspicitur, de priore carmine, quod v. 11 — 382 continetur, me cum Twestenio, cujus acutissimum libellum his demum diebus mihi licuit inspicere, fere consentire, nisi quod ille Pandorae mythum ejiciendum censet, argumentis allatis, ut mihi videtur, non probandis. Illud quidem facile ipse intellexi, non solum multa esse in eo loco depravata et conturbata, sed narrationis etiam colorem et habitum multo minus vetustum et Hesiodo dignum quam eorum, quae in Theogon. vv. 535—589 exhibentur. Sed tamen non potui animumu inducere, ut existimem, narrationem istam aut male inseri aut bene abesse posse. Sed haec de Pandora quaestio in medio relinquenda. Verissima enim Godofr. Hermanni vox: *In hujusmodi carminibus criticum in eo debere consistere, ut quoad fieri possit, singularum partium indicia eruat; nunquam autem eo posse perveniri, ut pristina illarum partium forma restituatur.* Cf. Epist. ad Ilgen. p. IX. Praeterea autem maxime discedo a viro acutissimo de dissolvenda utraque parte carminis, nec credo a rhapsodo aliquo profectos esse vv. 394 — 402, 633 — 640; de quibus vv. infra accuratius disseram. Rhapsodorum omnino manum fere in uno tantum loco agnosco, (quem Pausanias certe non primus eliminasse putandus est, versus dico 646 sqq.,) sed *διασκευαστῶν* studia in toto carmine nostro non minus quam in Theogonia adornanda maxime sunt manifesta. Dudum enim mihi persuasissimum est, carmen ἔργων καὶ ἡμερῶν corpus esse antiquissimae poesis Graecorum philosophicae reliquiarum, olim a compositoribus quibusdam collectarum et germano Hesiodi Ascraei carmini ampliori, ad Persen conscripto, ita quidem insertarum et additarum, ut eos ordinem quendam et continuationem partium spectasse negari nequeat. Quam sententiam cum plerique critici olim amplexi essent, nuper suo judicio comprobavit cum tragicorum tum epicorum carminum Graecorum sagacissimus et elegantissimus interpres *Schoemannus*, in indice schol. univ. Gryphisv. aestiv. 1842. Cui viro cum in eo prorsus assentiar, quod dicit acutiores oculos non facile fallere plurimas, quae in hoc carmine exstent, discrepantias et juncturas parum apte commissas, nec ferendos illos, qui talia nimis patienter excusent, tamen illud non concedo, quod hocce philosophicae poesis corpus confectum existimat recentiore aetate, nascentibus jam doctioris litteraturae initiis studiisque in veterum ingeniorum monumenta congerenda et conservanda intentis. Recentiorem quam dicat aetatem, non prorsus assequor; si ea tempora, quae post Persica bella secuta sunt, intelligit, vereor, ut verum viderit. Fieri enim solet, ut priscae poesis monumentorum colligendorum studium nascatur ac vigeat, ubi jam alia ac nova poesis genera excoli coepta sunt. Quare cum constet decrescente paullatim epicae poesis studio, inde a medio septimo ante Chr. saeculo lyricam poesin maxime florere apud Graecos coepisse, Homeri Hesiodique carmina tum maxime collecta et composita esse veresimile est. De qua re conferatur Guil. Grimmii dissertatio, quae inest in editione carminis, quod inscribitur Magnus hortus rosarum. Sed haec hactenus.

Caput secundum.

Sequitur dissertationis nostrae altera pars, qua ea quae de vv. 1—382 supra exposui jam singulis accurate examinandis defendere conabor.

§. 1.

Agam primum de prooemio versibusque 11—48, a Goettlingio, Hermanno, Lehrsio vario modo vexatis. Goettlingius ejicit vv. 18, 19; 25, 26; 27—41. Hermannus vv. 18 et 19 anteponendos versui 16 censet; Lehrsius in sex frustula dissecat, 11—24; 25 et 26; 27—32; 33—39; 40 et 41; 42—49. Ego, ejectis vv. 25, 26, omnia bene nexa habeo.

De prooemio autem paucis defungar; quod genuinum Hesiodi fetum esse praeter Ranckium nemo ausus est affirmare. Antiquorum grammaticorum plerosque sejunxisse ab Operibus testis est Proc. in praef., Plutarch. sympos. IX, 1 (ᾄσαντος δὲ τὰ πρῶτα τῶν ἔργων, οὐκ ἄρα μοῦνον,) Pausan. IX, 31, Herodian. περὶ σχημ. p. 49. Dind. Causarum cur eliminarent altera quidem levissima, quod Pierides Musae vocantur, non Heliconiae, sed altera gravissima, quod in quibusdam non ferebatur vetustis exemplaribus. De qua re supra diximus. Tertiam hanc caussam addo, quod nec argumentum nec orationis color sic habet, ut non a quolibet rhapsodo possit profectum esse. Operibus quoque si unum prooemium affixerunt illi compositores, cum quatuor Theogoniae (vv. 1—35, 36 - 80, 81—93, 94—104) praeponere non dubitarent, quis miretur? Ceterum ad hancce quaestionem solvendam, quae est de prooemii origine, quid lucremur iis, quae Vollbehr. conjicit, coram regulo aliquo Operum carmen recitatum esse, non video. Praeterea hymnum in Jovem, justitiae vindicem, ex frustulis diversorum poetarum concinnatum non esse, ut olim Hermanno visum est, comprobavit Goettlingius.

Quaeritur ἄρα particula v. 1, quo respiciat. Falli eum, qui qua omissa esse contendat, inter omnes interpretes constat post ea, quae *Mitscherlichius*, praeceptor meus summe venerandus, in splendidissima disquisitione de nonnullis Hesiodi locis, exhibita in progr. academ. anni 1824, docte et eleganter, ut solet, disputavit. Is ἄρα voce dicit argumentum, quod poeta sibi sumpsit, simpliciter inchoari, ut alias particula οὖν. Simillimus locus, ubi ab ἄρα voce carmen orditur, a Goettlingio affertur Rhiani ἦ ἄρα δὴ μάλα πάντες; at Odyss. VIII, v. 90, qui versus etiam in secunda editione citatur, ne legitur quidem illa vox; altero ibid. VIII, 73 (αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος-ἔντο, μοῦσ᾽ ἄρ᾽ ἀοιδὸν ἀνῆκε,) vulgaris obtinet notio. Aptius conferes Timocreontis fr. 3, Bergk. οὐκ ἄρα Τιμοκρέων μοῦνος ὃς Μήδοισιν ὁρκιατομεῖ, et Theocr. Idyll. 18, 1, ἔν ποκ᾽ ἄρα Σπάρτᾳ ξανθότριχι πὰρ Μενέλᾳ; ubi cave corrigas cum Fr. Jacobsio. Itaque ad prooemium aliquod hanc vocem referendam esse nemo facile putet; sed, quod Procul. dicit, ea, quae Theogon. v. 225 Hesiodus prodiderit, respici, Spohnio placuit. Lubrica sane quaestio est de Hesiodo Ascraeo Theogoniae auctore; mihi vero ad istam, quam nos habemus, theogoniam Operum auctorem non potuisse respicere uno loco convinci videtur, Theog. v. 384, quo Ζῆλος dicitur a Styge oriundus. Quid? num Ζῆλος differt a bona Contentione, quam noster e Nocte natam fingit? Qui si in Theogonia Aemulationem a Styge genitam dixisset, quin in Operibus condendis diversissimum mythum excogitaturus fuisset, dubito. At non respicitur Theogoniae fabula, sed ἄρα voce simpliciter poeta cum vi quadam inchoat argumentum suum. Atque ad solam meditationem poetae ἄρα recte refertur; nam omnem vim suam demonstrativam quandam exuere particulam illam cave credas. Quam autem cogitationem nostri aut meditationem fuisse dicimus? Non aliam certe nisi eam, quae circa ignaviam fratris, malae Contentionis studiosi, bonae osoris versabatur. Fratris enim vitam nequissimam intuens, jam aut fingit mythum

illum de duabus Contentionibus aut, quod probabilius est, antiquitus tradito utitur. Optime Mitscherlich.: „experientia demum Hesiodum alterum ἔριδος genus cognovisse omnia, quae de utriusque natura et effectibus subnectit, abunde redarguunt.“ Sed cur tam multa de vocula ἄρα? Scilicet ut hoc aperiam, temere facere eos, qui mythum huncce a proxime insequentibus distrahunt; cum ipsa vox ἄρα poscat ac flagitet, ut sit aliquid, quo referatur. Nec vero ad istam fratris vitam ac nequitiam, quam dies noctesque nostrum animo volvisse facile credas, bene referri quisquam neget.

Versuum 17 et 18, ut leguntur, difficillima explicatio, una vocula τέ ejecta, fit expeditissima. Fateor quidem, medelam, quae in aliis facilis videatur scriptoribus, in hoc carmine paullo esse audaciorem, cum jam Proculum vocem istam legisse negari nequeat. At primum sensus versuum, utut contorques verba, non ferendus: deinde et alia passim exstant menda vetustissima, in quibus jam Alexandrini grammatici haeserunt, ut v. 740 Goettl., in his numerandi fortasse Opp. v. 682, in quo εἰαρινὸς e versu 678 irrepsit pro ἀργαλέος, Theogon. v. 452, in quo οὕτως, quod v. 448 occurrit, corruptum est ex οὔπως. De utroque loco sic, ut dixi, corrigendo equidem nullus dubito, probabo fortasse alias. Nunc accuratius examinemus nostrum locum.

Triplex in scholiis verborum θῆκέ μιν sqq. exhibetur explicatio. Prima Proculi est, qui sic verba jungit, ut a voce ναίων non solum ἐν αἰθέρι pendeat sed sequentia etiam: ὁ Ζεὺς, ὁ ἐν τῷ αἰθέρι ναίων καὶ ἐν τοῖς ἀνδράσι καὶ ἐν ταῖς ῥίζαις τῆς γῆς, ἀμείνω τὴν ἔριν ἔθηκε ταύτην ἐκείνης, — ὅτι πανταχοῦ ἐστι τὸ θεῖον, καὶ ἐν πᾶσι, πρώτοις, μέσοις, ἐσχάτοις. Probat haec etiam in sec. ed. Goettling., improbant Hermannus et Vollbehr. Mihi non ferendum esse videtur, vocem ναίειν proprio sensu cum ἐν αἰθέρι conjungi, sed metaphorice referri ad ἐν ἀνδράσι. Hoc non admittit epici sermonis simplicitas, ubique in Hesiodo conspicua. Dein eo merito offenderes, si duobus solennibus epithetis Jovis qui ὑψίζυγος, αἰθέρι ναίων etiam apud Hom. Il. δ, 166 audit, aliud novum prorsus et inauditum subjungeretur, ἐν γῆς ῥίζῃσι καὶ ἀνδράσι. Praeterea versus et sensus optime concluditur illis verbis. Tertio loco dubitare quam maxime licet, num ναίειν ἐν ἀνδράσι eo sensu, quem Procul. et Goettl. volunt, dici possit, ut sit: qui regnat in homines, vel supra terram. Denique Orphicum potius aliquem poetam vel Aeschylum Pindarumque audire tibi videaris quam Hesiodum, Jovem concelebrantem velut τὸν τρίτον ἐπὶ πᾶσι.

Sequitur altera explicatio, quae non potest a Proculo profecta esse, siquidem primae contraria, sed Anonymo tribuenda haec: γαίης τ' ἐν ῥίζ.) ἐν τοῖς φυτοῖς τοῖς ἐῤῥιζωμένοις ἐν τῇ γῇ, [ἢ ὅτι ἐῤῥίζωσεν αὐτὴν ἐν τῇ γῇ ἢ] ὅτι ἡ ἀγαθὴ φιλονεικία καὶ ἐπὶ τὰ φυτὰ καὶ ἐπὶ πάντα τὰ γεωργικὰ ἐδόθη, ὥστε ζηλοῦν εἰς τὸ ἐργάζεσθαι τοὺς ἀνθρώπους. Alius ad v. 25) προτρέπεται πρὸς γεωργίαν διὰ τοῦτο. ἐν γὰρ ταῖς ῥίζαις τῶν γεωργικῶν ὑφίσταται ἡ ἀγαθὴ ἔρις φησὶν, οὐχὶ δὲ ἐν ταῖς ἀδικίαις. Qui haec scripserunt, illa verba non cum ναίων, sed cum θῆκε construxerunt. Atque hoc et versus et usus poscit. Approbarunt Spohnius, Vollbehrius, alii. Concedo ab Hesiodi ingenio non abhorrere, bonam Contentionem, cujus vis ac potentia eo maxime cognoscitur, quod ad rem rusticam colendam excitat, ipsam dici habitare ἐν ῥίζαις. At quis demonstret ῥίζας dici de φυτοῖς ἐῤῥιζωμένοις ἐν τῇ γῇ? Deinde, quod maximum est, non intelligitur, quomodo καὶ ἐν ἀνδράσι a Jove collocata sit. Praedicatur certe bona Contentio, quod a mundi rege, qui diis εὖ διεδάσσατο τιμάς, posita est ἐν γαίης ῥίζῃς; quo honore sororem natu minorem sine dubio superat; at, quaeso, annon mala Contentio etiam inest ac habitat in mortalium animis? Proculus neglectis verbis, philosophema venditat pro interpretatione ad. v. 11: ἡ δ' ἀμείνων ἔρις τοῦ ἀγαθοῦ ἕνεκα γινομένη, καὶ ἐν τοῖς κρείττοσιν ἡμῶν ἐστιν.

Restat tertia explicatio, indicata fortasse illo scholio, quod uncis inclusi: ἐῤῥίζωσεν αὐτὴν ἐν τῇ γῇ. Qui sic interpretatus est, θῆκε proprio sensu non cum ἀμείνω, sed cum ῥίζαις conjunxit, quam vocem non de frugibus, sed de terra ipsa intellexit. Omnis quaestio vertitur in explicatione

verbornm *γαίης ῥίζαι.* Quae, quantum equidem video, nisi prorsus singulari ac novo sensu h. l. dicta sunt, nihil aliud significant, nisi Terrae radices sive fundamenta, ut Theogon. v. 728:

αὐτὰρ ὕπερθεν
γῆς ῥίζαι πεφύασι καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης.

Haec si vera sunt, quae dicimus, sensus efficitur simplicissimus, ejecta particula *τέ*: Bonam Contentionem, quam Nox mater priorem peperit, Juppiter, regnum coeli adeptus, propter praestantiam suam fortasse hoc eam dignatus honore in terrae radicibus collocavit, unde vim suam, ad excitandam hominum aemulationem, maxime in rem rusticam exsereret. Alia de caussa honoravit Styga, cf. Theogon. v. 400, Hecaten v. 450. Ibi autem eam habitare jussit, ubi Nox mater cum Somno ac Morte filiis domicilia habebat. cf. Theogon. 748, 759.

Sequentia *καὶ ἀνδράσι πολλὸν ἀμείνω* (si. *οὖσαν*) conjungenda. Suadet similis orationis conformatio v. 24: *ἀγαθὴ δ' Ἔρις ἥδε βροτοῖσιν.* Si verba *πολλὸν ἀμεί.* cum *θῆκε* construantur, eo sensu, quem Goettling. statuit, „Juppiter multo praestantiorem conformavit,“ jure mireris, cur a Jove demum melior reddita esse dicatur ἡ *πρεσβυτέρη Ἔρις.* Nonne eo ipso praestantior, quod major natu fuit? Bene schol. anonym. ad v. 17, de voce *προτέρην*) *τὰ γὰρ καλὰ προγενέστερα· μετὰ ταῦτα δ' ἐφάνη ἡ κακίων* (sic corrig.) sc. *ἔρις.* Itaque jam v. 17 indicatur non solum diversam alteram ab altera fuisse, primum quod priorem mater pepererit, deinde quod Juppiter proprio honore dignatus sit, sed his ipsis de caussis etiam sorore meliorem. (Utraque enim Contentio Noctis filia, bona natu major. Sic recte Goettling.) Quamquam non nego, verba et sic construi posse ut significent: alteram et mater priorem peperit, et Juppiter in terrae radicibus (ubi degit) etiam mortalibus utiliorem reddidit. At ferri non potest in Hesiodo haec explicatio, ut *θῆκε* alio sensu ad verba *γαίης τ' ἐν ῥίζ.* alio ad *καὶ ἀνδράσι ἀμείνω* trahatur: Juppiter eam et in terrae radicibus collocavit, et utiliorem hominibus reddidit, ei injungens, ut ad aemulationem eos excitaret. Hoc vero mihi persuasum est, *τε* particula servata, probabilem explicationem excogitari non posse. Ceterum multo concinnior existeret oratio, vv. sic scriptis;

θῆκε δέ μιν Κρονίδης ὑψίζυγος, αἰθέρι ναίων,
γαίης ἐν ῥίζαις· ἡ δ' ἀνδράσι πολλὸν ἀμείνων.

Sed utut verba *γαίης ἐν ῥίζαις* interpretaris, cur sub Terra habitantem faceret deam, non aliam certe habuit rationem, nisi ut in agricolationem vim suam maxime exserere indicaret. Quam rem sequentibus declarat. Nam vox *ἥτε*, cujus vis propria explicativa est, proxime antecedens enuntiatum ita explicat, ut accuratius indicetur, qua maxime re dignoscatur bonae deae virtus. Itaque vel hac de caussa, vv. 18 et 19 postea interjectos esse, non persuadet Goettlingius. Nec enim haberes, quo *ἥτε* referres, praeterea v. 17 *μέν* particula requirit subsequens *δέ*.

Vv. 25, 26 non cohaerent cum antecedentibus, sed sunt vetus proverbium, postea adscriptum, cujus alicui in mentem venit propter *ζηλοῖ γείτονα γείτων*, quorum verborum sensus diversissimus. Nam *ζηλοῦν* hoc loco nihil aliud potest significare nisi aemulari, *κοτέειν*, *φθονέειν* invidere. Vollbehrius *κοτεῖν* mediam vocem esse probatum ivit, relegans ad Nitsch. Annot. ad Odyss.; at *φθονεῖν* quoque mediam esse non probavit. Nec quisquam probabit, opinor. Una itaque vox impedit, quominus haec de bona Contentione intelligantur. Ceterum sententia non potest obscura videri. Figulum figulo invidere, ubi alterius fictilia, Minerva propitia, optima evaserunt, alterius autem *κάμινος μέγα κυκηθείη*, *κεραμείων μέγα κυκησάντων*, ut Hom. ait in *Κεραμεῖ*, quis miretur. Nescio, utrum ex nostro proverbio fluxerit simillimum, quo Lutherus utitur: *Zween Töpfer in einem Dorf und zween Narren in einem Haus vertragen sich schwerlich.* Mendicus mendico invidet dona majora, ut est in Iro rhapsod. v. 15 sqq.

οὔτε τινὰ φθονέω δόμεναι καὶ πόλλ' ἀνελόντα.

Nec minus rhapsodus irascitur excluaus ad festum admisso. Quae non effici a bona Contentione, bene sensit schol. anonym.: *τοῦτο δὲ δεῖ μᾶλλον ἐπανάγειν εἰς τὰ εἰρημένα περὶ τῆς χείρονος ἔριδος, καὶ γὰρ τὸ κοτέειν καὶ τὸ φθονεῖν κακά ἐστι, καὶ ἐκείνης μᾶλλον οἰκεῖα, καὶ οὐ τῆς ἀμείνονος.* Ceterum si cum Herm. vv. transponas post v. 16, inconcinna oratio erit. Atque in margine notata ut postea in textum irrepserint, et in aliis scriptoribus passim factum est et in nostro compluribus locis. De qua re infra iterum agemus ad vv. 317 et 318. 579.

In vv. 29 et 33 fuit cum ego quoque haererem. Nom *δῆριν ὀφέλλειν* si ejus est, qui ipse caussas instituit, (cf. v. 14, *πόλεμον*, v. 213, *ὕβριν*, v. 412, *οἶκον*, 492, *ἔργον ὀφέλλειν*,) non potest ea res crimini verti Persae, qui modo audit iners fori frequentator caussarumque auditor. Putabam igitur vv. 30—33 eliminandos esse, ut qui bene abessent, si verba *ἐπ' ἀλλοτρίοις κτήμασι* construerentur cum voce *νείκεα* v. 29; totum autem locum in duas partes dirimendum esse nunquam concessissem Lehrsio. Sed rem expedivit Goettling. in ed. sec. monens, ex eo, qui antea auditor tantum fuisset litium subrostranus, continuo, si nactus esset divitias, ordinarium fieri, qui ipse lites ageret. In iis autem, quae poeta dicit, si opibus polleret Perses, licitum illi fore quam plurimas lites instituere ad aliena bona arripienda, animadvertas, quaeso, summam poetae acerbitatem, quae latet in verbis *ἐπ' ἀλλοτρίοις κτήμ.;* aliena bona intelligit sua, quae frater et olim abstulerat, et tunc maxime, nova lite intenta Hesiodo, aufferre parabat. Ironiam hanc, quam dico, si tenes, jam non offendent sequentia, quibus suam rem tractat. Excandescentiae poetae cum alia in hoc carmine testimonia exstant, tum hoc maxime, quod inde a versu 33 antecedentibus adjungit ea, quibus non continuatur primarium argumentum, quod et supra et infra persequitur. Recte ut de hoc loco judicemus, ne obliviscamur, vv. 33—41 per parenthesin additos esse. Postquam deferbuit poetae exacerbati stomachus, jam ad argumentum suum redit. Prorsus eadem res est in exordio partis secundae carminis, vv. 395—404, quo loco verbis *ἀλλὰ* se ipsum revocat. Et paullo infra vv. 43—46 eadem prorsus sermonis conformatio: cf. etiam vv. 632—640. Quae res cui demum mira videatur, qui hoc non neglexerit, non ex sedata et ad sapientissima praecepta leniter edenda composita mente carmen nostrum molliter quasi profluere, sed maris instar, ventorum vi excitati, velut irae fluctibus agitari poetae nostri animum. Itaque v. 42 *γὰρ* particula non spectat ad proverbium proxime antecedens, sed continuat illud argumentum, quod inde ab initio carminis poeta persequitur. Sic concidunt, opinor, omnia, quibus Goettling. hunc locum exagitavit in ed. sec. Illud vere dixit cum proverbio de malvis et asphodelo non conjungi v. 42, sed fallitur in eo, quod orationis filum abruptum esse dicit v. 24.

Itaque ut paucis comprehendam sententiarum nexum, bene, inquit, perspexi, (fratris nequitiam expertus,) duas esse Contentiones, alteram funestam, quam ut cunque invisam propter bella rixasque, quas movet, homines a se amoliri vix possunt, (matrem Famis, Rixarum, Mendaciorum, Malorum, Theogon. 226 sqq.,) alteram Noctis majorem natu filiam, quam sic Juppiter honoravit, ut in terrae radicibus habitare juberet, hominum generi salutarem et propitiam, ut quae aemulationem eorum animis instillans, ad *ἔργα* i. e. rem rusticam impigre exercendam maxime excitet. Illam Perses aspernetur, ne se ab opere faciendo abstrahat; opus enim facere, non in foro circumvagari oportere pauperem hominem, ut Persen; caussam, cur laborem deceat exercere, post ea, quae ut interjiceret animi fervor et ironia eum instigabat, addit hanc: istam laboris exercendi necessitatem hominibus olim a Jove injunctam esse, ex quo, propter Promethei fraudem iis iratus, vitae sustentandae viam noluerit facilem esse. Quod nisi Juppiter fecisset, plurimas opes nullo labore comparandi ita expeditam rationem futuram esse, ut nec navigationem nec agricolationem exercere oporteret. At Jovem aliter disposuisse nobisque morbos ac mala innumerabilia immisisse. Omnia, opinor, bene cohaerent inde a v. 11 usque ad v. 105, quamquam vv. 50—89 omitti possunt.

Sed de iis, quae vv. 33—41 leguntur, parenthesis signis circumscribendis paullo accuratius

agendum. In diversissimas sententias abeunt interpretes de vocibus αὖθι, ἐθέλουσι, δικάσσαι, explicandis et de expediendo proverbiorum sensu. Ut rem quam brevissime absolvam, hoc loco paucis exponam, quam condendi carminis caussam habuisse noster videatur. Quae res a poeta ipso non est in dubio relicta. Nam patre mortuo, Ascraeorum civitatis metoeco, cf. v. 633 sqq., cum Hesiodus ac Perses fratres patrimonium divisissent, mox Perses, homo litigosus et injustus, de rectius herciscunda hereditate fratri litem intenderat, et, corruptis judicibus, obtinuerat; cf. v. 37. Itaque Perses, quem δαίμονι ἶσον et ἀγορῆς ἐπακουὸν fuisse noster testatur, (v. 314, 29), cum postea, suam hereditatis partem consumsisset, et cum conjuge et liberis ad fratrem venisset petens, ut sibi porrigeret, unde vitam sustentaret, a fratre, memori fraudis prioris, nihil accepit; cf. v. 396 sq. ὡς καὶ νῦν ἐπ' ἔμ' ἦλθες, ἐγὼ δέ τοι οὐκ ἐπιδώσω οὐδ' ἐπιμετρήσω, ἐργάζευ, νήπιε Πέρση. Tum ille, qui litigando quam laborando ditari maluit, παλινδικίαν λαχών, ad eandem rem, quae ei semel prospere cesserat, iterum recurrere constituit, cf. v. 215, 274, 277. Tum vero Hesiodus, cui pauperi quidem, sed poetae splendidissima illa relicta erant arma, quae a Musis tenuit, hocce carmen vulgavit, quo judicibus injustissimis civium odium adeo conflaret, ut illi, publicam invidiam veriti, caussam instituere non auderent, atque ipse, Musis faventibus ac Jove, victor discederet.

Singulos locos, quos attuli, accuratius inspicienti dubium non erit, quin de duplice quadam lite in carmine nostro mentio fiat. Quaeritur nostro loco, verbis οἳ τήνδε δίκην ἐθέλουσι δικάσσαι, utra intelligenda, prior an παλινδικία. Godofr. Hermannus in recens. edit. Goettl. prior. vocem δίκην negat significare litem. *Δίκη bedeutet in der alten Sprache nicht die Streitsache, den Process, sondern das Recht.* Magna quidem Hermanni auctoritas, at audi schol. anonym. annot. ad v. 282, ex vetusto aliquo grammatico commentario haustam: τετραχῶς τίθησι τὴν δίκην, ποτὲ μὲν ἐπὶ τῆς θεᾶς, ποτὲ δὲ ἐπὶ τοῦ δικαίου, ποτὲ δὲ ἐπὶ τῆς κρίσεως, ποτὲ δὲ ἐπὶ τῆς τιμωρίας. Recenseamus igitur locos Operum, quibus illa vox occurrit. Primum ipsam rem veram ac justam vox δίκη non significat, sed τὸ δικαῖον, τὰ δικαῖα v. 228, 282; sensum autem justi et aequi significat v. 280 οὐ δίκη ἐστὶν ἐν θηρσί (Gerechtigkeitssinn.); v. 194 δίκη καὶ αἰδώς; v. 277 δίκης ἐπάκουε, v. 215 similiter. Tum δίκη est justitia ac jus (das objective Recht;) v. 285, δίκην βλάπτειν; 226, δίκην ἰθεῖαν νέμειν; sed δίκαι sunt jura, judicum sententiae, ut v. 35 ἰθεῖαι δίκαι, v. 250 σκολιαί, coll. 126, 228, 264, 254. Dea memoratur v. 220, v. 256. Poenam, ultionem designat v. 239 τοῖσδε δίκην τεκμαίρεται Ζεύς; eadem significatio valet v. 249, ὑμεῖς καταφράζεσθε τήνδε δίκην, de quo loco infra agam. Versu 714 δίκην παρασχεῖν est Genugthuung anbieten. Praeter v. 269 οἵην δὴ καὶ τήνδε δίκην πόλις ἐντὸς ἐέργει, cujus hunc sensum esse mihi persuasum est: non latet Jovem quam prava sit ista, quam olim in me probastis, justitia; restant v. 272 εἰ μείζω γε δίκην ἀδικώτερος ἕξει, et v. 39 οἳ τήνδε δίκην ἐθέλουσι δικάσσαι. (cf. Hesiod. fr. 181 μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.) In his quin δίκη litem, caussam, den Process, significet, propter forenses locutiones solennes δίκην μεῖζω ἔχειν, δίκην δικάσαι nullus dubito.

Redeamus ad locum nostrum, in quo αὖθι multa facessivit negotia interpretibus. Ego cum Hermanno significare puto illico, extemplo, sine ambagibus. Mihi enim persuasum est, bis litem a Persa intentam esse, carmenque scriptum, cum alteram instrueret. Ait igitur, se caussam suam illico velle agere, non fraude doloque usos, nec ad judicum corruptorum judicium provocantes, sed ad jus et aequitatem, quam Juppiter διέταξεν ἀνθρώποις. Fratrem injuste agere, quod denuo de hereditate herescunda litem sibi intendat, cum olim suam acceperit dimidiam partem rerum a patre relictarum ac plus etiam, quam debuerit illi; hanc profecto priorem caussam male dijudicatam a judicibus corruptis, qui tamen profiteantur (ἐθέλουσι), rem se δικάσαι i. e. σὺν δίκῃ διαγνῶσαι. „At istos ne nosse quidem, modicas facultates, suamet cujusque industria ac labore partas, praestare amplissimis opibus, per aliorum injuriam comparatis, quae et fluxae sint et possessorem suum multis damnis ac

miseriis induant; ad hoc fugere illos insipidos, (quos infra φρονέοντας καὶ αὐτοὺς ironice appellat), populi Ascraei primores, quantum vitae praesidium sit in asphodelo ac malvis, h. e., ut Tullius loquitur, quantum vectigal sit parsimonia et frugalitas." Sic optime Mitscherlich. in progr. 1839. Ceterum a Vollbehrii toto caelo mea distat opinio; is ex voce αὖθι concludit, non Ascrae, sed in alia quadam civitate versatum esse poetam, ac ne patrem quidem Ascraeum fuisse; non persuadet de voce αὖθι Vollb, nec de τῇδε v. 635 Goettling. Ut ipse profectus fuerit Orchomenum, caussam de bonis paternis certe Ascrae a fratre institutam esse necesse est: nisi forte bona simul peregre profecta esse conjicis.

Jam restat, ut paucis comprehendam, quae inde ab initio hujus paragraphi exposita sunt. Duas, ait, esse Contentiones, bonam alteram, alteram funestam; hanc fugere decere Persen, ne a labore exercendo abstrahatur, cum pauper sit; (si divitiis polleret, facile eum posse injustas, ut consuevisset, lites instituere, ut alienas opes vindicaret; quamquam iterum illum Hesiodum defraudaturum non esse; id ne fiat, se hocce carmine, quo ad civium suorum judicium provocat, prohibiturum esse; palam omnibus se facturum, quam rem Perses moliatur, cum corruptis spe pecuniae judicibus;) sed laborem exercere oportere, quia haec sit humanae vitae conditio ex eo tempore, quo malorum cohors immissa sit hominum generi.

§. 2.
De mytho Pandorae, qui continetur vv. 50—105.

Lehrsius vv. 90 sqq. a ceteris disjungit; Goettlingius olim conjunctos fuisse putat. Turbatum esse versuum 70 — 80 tenorem, omnes consentiunt.

Dicam de eo primum, quod Lehrsius proprium carmen esse dicit, vv. 90 — 104 exhibitum. Equidem non nego his bene continuari v. 49; sed tum v. 105 a compositore profectum esse necesse est; quale artificium acutius est, quam ut homo ille excogitasse videatur. Narrationis, quae vv. 50 — 90 exhibetur, color antiquitatis summae πίνῳ signatus quidem non est, ut et Theog. vv. 535 sqq., et Opp. vv. proxime insequentes 91 — 104. Sed tamen nec v. 50 nec v. 91 adeo hiant juncturae, ut sententiarum nexus non bene procedat.

Examinemus primum v. 47, quo repetitur post interjectos versus 44 — 46 aptissimos atque vetustissimos eadem sententia, quae v. 43 exhibetur. Post parenthesin autem quod voce ἀλλὰ utitur, quis miretur? Sed offendis in voce κρύψε ter repetita, ego non offendo in orationis simplicitate; nec id injucundum est, quod tertio loco proprio sensu, primo et altero metaphorico vocem κρύπτειν usurpat. In sententia autem si haereas, vereor, ne nodum in scirpo quaerere videaris. Juppiter, ait, difficilem reddidit vitae viam (de voce βίος cf. v. 318), hominibus mala cogitans propter Promethei fraudem. At bis fraudatus est Jovem Japeti filius. Audio; quid autem obstat, ne statim v. 38 de altera fraude cogites? Quod si feceris, ut debes, — nam praesens certe vitae humanae necessitas non igni abducto, sed muliere cum malis missa ex poetae mente effecta est, — tum non haerebis in eo, quod jam omnem rem ab ovo narrat ad mala, id est ab igni usque ad pyxidem. Caeterum post κήδεα λυγρὰ punctum minus ponatur necesse est, quo minus hiet sententiarum nexus. Consentit igitur noster cum auctore narrationis in Theogonia exhibitae, quod Jovis iram a fraude Promethei, Meconae admissa, repetit. Hinc Jovis irae, hinc mortalium lacrimae. Schol. Anonym. v. 48: αἰνίττεται δὲ ἡ ἀπάτη ἡ περὶ τὴν διανομὴν τοῦ βοός, ἣν ἐν τῇ Θεογονίᾳ παρέδωκεν. Sed distat utraque narratio non colore solum sermonis, sed ipso consilio ac fine, ut nostra non possit pro diversa alterius recensione haberi, ut nonnullis visum est. Nam ut illa variasse recens rhapsodus videatur, quod non Minervam solam facit mulieris exornandae munus exequentem, quod non convocato mortalium coetui repraesentatur

καλὸν κακόν, haec certe ipse invenit, immo prorsus diversam traditionem in his sequutus est, quod pyxidem secum portat Pandora, malorum omnium scaturiginem. Non assentior Bernhardyo, in Hist. litt. gr. II, p. 181, sic scribenti: dies Episod. schiebt dem Hes. ein unrichtiges Motiv unter, als ob er den Fall des vordem seligen Menschengeschlechts vom Weibe des Epim. ableite. Theogoniae auctor solam mulierem malorum caussam dixit, vel potius unum illud malum, quod pro igne abducto miserit Jupiter:

ἐκ τῆς γὰρ γένος ἐστὶ γυναικῶν θηλυτεράων·
πῆμα μέγα θνητοῖσι μετ' ἄνδρασι ναιετάουσιν,
οὐλομένης πενίης οὐ σύμφοροι, ἀλλὰ κόροιο.

De morborum ac ceterorum malorum origine ille nihil addit. Sed in Operibus mulier ipsa non est origo malorum non bella solum, sed etiam a Minerva edocta *πολυδαίδαλον ἱστὸν ὑφαίνειν*; nec vero hominibus funesta propter *κύνεόν τε νόον καὶ ἐπίκλοπον ἦθος*, sed eo tantummodo, quod pyxidem, malorum omnium plenam, Jovis jussu Epimetheo afferens aperit. Etenim ad nostrum locum intelligendum prorsus non egemus commento, a Proculo exhibito, de vasculo malorum in Epimethei domo asservato. Sequitur noster vulgatam fabulam de Pandora una cum pyxide e coelo demissa, qualis in vaso quodam, a Welkero et O. Muellero, immortalis memoriae viro, edito, una cum Mercurio, prosequentibus diis deabusque cachinnantibus, repraesentatur. At pyxidem a diis repletam esse, in qua tamen re cardo mythi vertitur, non dicit. Exornata illa quidem res non est, sed pyxidem discedenti dono datam esse memoratur. Etenim vv. 81, 82 sic explicandi, ut significent: Pandorae nomen mulieri inditum, quia omnes dii ei donum dederunt (suppl. *οἱ* ad *ἐδώρησαν*), idque donum, pyxis videlicet, ipsum *πῆμα θνητοῖσι* vocatur v. 82. Atque sic locum nostrum explicandum esse jam veteres grammatici viderunt. Schol. ad v. 79, *Πανδώρην δὲ ὅτι πάντων δῶρα ἔλαβεν*, — nam ipsa, ait schol. ad v. 85, *οὐκ ἦν πάντων τῶν θεῶν δῶρον, ἀλλὰ τοῦ Διός*. Is igitur in v. 82 supplevit *αὐτῇ*, ut supra dixi.

Praeterea v. 83 legendum *ἐξετέλεσσαν* pro singulari, quem Goett. exhibet; nam *δόλος αἰπὺς* h. l. non significat mulierem, ut in Theogon. v. 589, sed pyxidem, vel potius donationem illam, cujus omnes dii participes fuerant. Cave enim putes, verbis *ὅτι πάντες δῶρον ἐδώρ.* respici ad ea, quae praemissa sunt, de Mercurio, Vulcano, Minerva, ceteris. Nec etiam alia praeter pyxidem dona accepit. Versu 85 ipsa quidem Pandora *δῶρον* vocatur, sed Jovis, non omnium deorum. V. 89 indicatur, illico Epimetheum vidisse, se a Jove esse deceptum. Quae res facilis est ad expediendum. Nam Mercurius, virginem pulcherrimam Epimetheo tradens, eo etiam commendavit, quod deorum dona pretiosissima, in pyxide condita, afferret; quam cum illa simul, ex Jovis jussu, aperuisset, mala monstrosa evolantia perterritus conspexit Epimetheus. Atque ad ultima verba v. 89 particula *γὰρ* referenda.

Vides omnia bene procedere et vv. 83—90, et vv. 42—50. Sed vv. 71—80 tenor certissime est turbatus. Primum post v. 71 exciderunt fortasse vv. nonnulli, quibus ea exposita erant, quae vv. 63—66 indicantur, Minervam artem texendi docuisse mulierem, Venerem venustate ornasse; nam ita fere fert epicorum usus, ut ad verbum fere repetant, quae repetenda sunt. Nisi forte vv. 63, 64 eliminandi sunt, cum Mitscherl. Vv. 71 et 72 ex Theogon. ad verbum repetitos plerique critici ejecerunt; recte; ne Minerva in comenda et exornanda Pandora bis ad partes vocetur. Versum 72 additum esse, cum in Theogon. legatur, mihi probabilius videtur quam v. 76, nostro proprium, quem notat Mitscherl.

Deinde hoc offendit, quod, cum antea Vulcanus *αὐδὴν* ei indere jubeatur, postea v. 79 Mercurius *φωνὴν* indidisse dicitur. Jam Proculus ad h. v.) *τοῦτό τινες περιττόν φασιν· ἤδη γὰρ ὁ Ἥφαιστος δέδωκεν αὐδὴν τῇ γυναικί· εἰ δὲ καὶ τοῦτο γνήσιον εἴη τῷ Ἡσιόδῳ, τὸν Ἥφαιστον ἐροῦμεν τὸ ὄργανον ὑποστῆσαι τοῦ ἀλόγου, – τὸν δὲ Ἑρμῆν αὐτὴν δοῦναι τὴν δύναμιν τὴν λογοειδῆ.* Haec Goettlingio placuere, mihi non item, nec Vollbehrio. Praeterea et in eo offendas, quod v. 79 *τεῦξε* vocabulo

utitur, non apto de mendaciis ac blanditiis; in quibus vocabulum *θῆκε* v. seq. proprium foret; *τεύχειν* ad Vulcanum debet pertinere. Itaque cum veteribus grammaticis v. ejiciendum duco. Tum Mercurius eo, quo supra jussus est, officio perfungitur. Praeterea, parum accommodatum narrationis tenori, comi et exornari Pandoram, antequam ipsam etiam loquendi facultatem accepit. His expositis, apparet, jam non levi medela egere totum locum, sed ferro sanandum esse, nisi forte in medio rem relinquere est sobrii critici. Sed audendum est aliquid in Hesiodo maxime; itaque totum locum sic, ut mihi quidem sanandus esse videtur, adscribam; etenim oculis subjecta facilius plausum ferent, quia (cf. Twest. p. 65)

segnius irritant animos demissa per aurem,
quam quae sunt oculis subjecta fidelibus.

v. 69. *ὣς ἔφαθ'· οἱ δ' ἐπίθοντο Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι.*
αὐτίκα δ' ἐκ γαίης πλάσσε κλυτὸς Ἀμφιγυήεις
* *παρθενικῆς καλὸν εἶδος ἐπήρατον· ἐν δ' ἄρα φωνὴν*
v. 79. *τεῦξε Διὸς βουλῇσι βαρυκτύπου· αὐτὰρ Ἀθήνη*
* *ἔργα διδάσκησεν, πολυδαίδαλον ἱστὸν ὑφαίνειν,*
* *καὶ χάριν ἀμφέχεεν κεφαλῇ χρυσέη Ἀφροδίτη.*
ἀμφὶ δέ οἱ Χάριτές τε θεαὶ καὶ πότνια Πειθὼ
ὅρμους χρυσείους ἔθεσαν χροΐ· ἀμφὶ δὲ τήν γε
Ὧραι καλλίκομοι στέφον ἄνθεσιν εἰαρινοῖσι·
πάντα δέ οἱ χροὶ κόσμον ἐφήρμοσε Παλλὰς Ἀθήνη.
ἐν δ' ἄρα οἱ στήθεσσι διάκτορος Ἀργειφόντης
ψεύδεά θ' αἱμυλίους τε λόγους καὶ ἐπίκλοπον ἦθος
θῆκε θεῶν κήρυξ, ὀνόμηνε δὲ τήνδε γυναῖκα
Πανδώρην, ὅτι πάντες Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες
δῶρον ἐδώρησαν, πῆμ' ἀνδράσιν ἀλφηστῇσιν.

V. 79 sic transposito, magna tollitur offensio; cum vv. 71, 72 in textum irrepsissent, genuini vv. suo loco moti, partim corrupti sunt partim deleti. Post haec plura exciderunt, quibus accuratius exponebatur, quomodo dii deaeque *αἰπὺν δόλον ἐξετέλεσσαν;* describebatur *πίθος*, ingens pyxis, a Vulcano fabricata; in quam malorum cohors immissa, cum spe, bona dea, *ἣ ἐν ἀνθρώποισι μόνη θεὸς ἐσθλὴ ἔνεστιν*, ut Theognis ait v. 1135, fortasse ab ipso Jove simul in vasculum condita. Tum sequebatur v. 82:

αὐτὰρ ἐπεὶ δόλον αἰπὺν ἀμήχανον ἐξετέλεσσαν.

Sine offensione sequentia decurrunt usque ad finem, nisi quod v. 93 ejiciendus est, jejunus admodum h. l. et ex Odyss. XIX, 360 adscriptus; post v. 94 unum alterumve v. excidisse, recte, ut videtur, suspicatur Mitscherl. Ceterum v. 99 suo loco servandus, etsi post v. 95 bene legeretur; cum v. 105 pugnare, non concedo; respicit ad ea, quae Juppiter, spem malis addens, edidisse putandus est.

§. 3.
De mytho Aetatum.

Antequam de auctore hujus narrationis deque argumento ipso accuratius disseramus, singula lustremus; nam ad explicandum difficilia non pauca insunt, emendanda permulta. De vv. 106—108 multum disceptatum est ab interpretibus. Primum ultimus versus si servetur, omnes tres male sunt additi, quibus parum accommodate ad sequentia transitus paratur; nam non docetur, ejusdem stirpis esse homines ac deos. Vollbehrius vocabulo *ὁμόθεν* putat hanc inesse mentem, aequales diis homines factos esse, aureos antiquissimis, argenteos iis qui sub Jove erant; nam cum Jovis imperio alios populos ortos. Mihi, *ὁμόθεν* nati sunt mortales et immortales, nihil aliud significare videtur ac Pindaricum illud *ἓν*

θεῶν, ἐν δ᾽ ἀνδρῶν γένος. Fortasse primae aetatis homines respiciuntur, quibus simillimi ab Homero repraesentantur Phaeaces, *οἵ ἀρχίθεοι γεγάασι*, cf. Odyss. 13. 130, ubi Neptunus dicit, *Φαίηκες, τοίπερ τοι ἐμῆς ἔξεισι γενέθλης*.

Sed etiamsi sic intelligi voluit is, qui inseruit, proximus versus inepte additum esse redarguit. Nam *ποίησαν* h. v. certe idem significat atque v. 158, 144; (hoc propter Vollbehr. moneo, *ποιεῖν* interpretantem non creare, sed fingere ab ipsa natura creatos.) Igitur v. 108 mortales ab iisdem profecti initiis ac dii, v. 109 a diis facti dicuntur. Haec quidem offensio tollitur, si versum ab antecedentibus sejungis; tum utrum a margine irrepserit, an aliunde (fortasse legebatur post v. 121, vel post v. 160, hoc statuit Herm.) male huc trajectus fuerit, non liquet.

Aurea aetas, quam ab auro nominavit, quia aurea sunt pretiosissima, (nimis artificiosa excogitavit Goettling., moribus simillima esse trium generationum metalla, aurum, argentum, aes; nam aurum non arrodi robigine, quae videatur pravitatis viliorumqne simulacrum cf. Proc. ad v. 111;) prima igitur aetas malorum omnium expers, bonorum abundans est. Nec iis mors in malis habenda erat, cum morerentur velut somno oppressi. Terra ipsa omnia subministrabat, tranquilli greges pascebantur, cari diis immortalibus. Juppiter autem, patre expulso cum regno caeli potitus esset, simul hos beatissimos et innocentissimos mortales delevit ita quidem, ut summis post mortem honoribus cumularet. Omnia sic decurrunt, ut salva et integra videantur. In v. 111 haeret Goettling., Diodorus, qui affert, non videtur haesisse. Vere monet Goettl., Saturnum nusquam in diis Olympicis haberi. Nam *Ὄλυμπον ἔχειν* Olympici, nusquam *ἀγανοὶ Οὐρανίωνες* dicuntur, cf. Theogon. 113, ubi *δωτῆρες ἐάων* dicuntur *ταπρῶτα ἔχειν Ὄλ.* Possis contra dicere, v. 109 fortasse aliter scriptum invenisse eum, qui v. 108 addidit, sic fere:

Χρύσεον μὲν πρώτιστα γένος θνητῶν γένετ᾽ ἀνδρῶν.

Sed verum vidisse Goettling. videtur; atque aliam caussam infra addam, ubi h. l. retractabo.

Argenteam gentem mortalium non facinorosam, sed tantum desidiae deditam fuisse, falso contendit Goettling. Nam disertis verbis v. 134 eorum *ὕβρις* notatur.

Idem eo quoque lapsus esse videtur, quod v. 145 *ἐκ μελιᾶν δεινόν τε καὶ ὄβριμον* conjunxit; locum, quo constructionem probaret, non attulit ex epico, sed ex tragico desumptum. Praeterea vulgata apud antiquos fabula de hominibus *ex duro cortice et truncis* factis. — *Οὐδέ τι σῖτον ἤσθιον* non videtur significare „non contenti frugibus, sed carne *etiam* vescebantur," sed frumento omnino non vescebantur; humanum cibum spernebant immanes ac feroces homines; latet igitur in verbis, agriculturam ab iis non exercitam fuisse; *χαλκῷ ἐργάζεσθαι* necesse non est, ut de opera rustica facienda intelligatur. — Lectionem *ἄπλαστοι* pro *ἄπλητοι* praefero, ut haec vox cum sequentibus conjungatur; nam puncto si v. 147 clauditur, concinnior evadit oratio, et figura in Hesiodo frequens, saepius etiam restituenda, ut ab exclamatione exordiatur versus, explicatio sequatur.

ἄπλαστοι! μεγάλη δὲ βίη καὶ χεῖρες ἄαπτοι.

V. sequens 149 e Theogonia additus, cum vox *ἄπλαστοι* in mentem vocaret simillimum locum de Centimanis, Theogon. 151 sqq. Quo loco fortasse restituendum est illud *σχῆμα*, quod dixi; medicina egere vv. 154 sq. manifestum est; nam quis ferat omissum esse *ἦσαν*? cujus nullum exemplum in epicis carminibus exstare profitetur Goettling. Scilicet ejecto v. 154 omnia optime habebunt. Idem v. infra legitur in loco de Hecate v. 421. Tum hanc habes figuram, quam supra illustravi.

ἰσχὺς δ᾽ ἄπλητος κρατερὴ μεγάλῳ ἐπὶ εἴδει.
δεινότατοι παίδων! σφετέρῳ δ᾽ ἤχθοντο τοκῆι
ἐξ ἀρχῆς.

Sed totum locum inspice, ut sentias, quam illo loco apta sit figura. Aliud exemplum dabo ex Theog. v. 954, cujus gravitas ac venustas augetur restituta justa interpunctione. Punctum claudat versuum 950—953 periodum; nova inchoetur his verbis:

ὄλβιος! ὃς μέγα ἔργον ἐν ἀθανάτοισιν ἀνύσσας
ναίει ἀπήμαντος καὶ ἀγήρως ἤματα πάντα.

Haec praemisi, quo magis jam eo inclines, ut in extrema narratione *quartae aetatis* eandem figuram restituenti concedas, *ἐκ τοῦ χαρακτῆρος* emendationem factam esse. Sed res altius repetenda.

Versu 171 contendo veram esse cdd. lectionem *ἐμβασίλευε*, quam Alexandrini et Proculus legisse videntur; Buttmannus in dissertatione de aetatibus scripsit *ἐμβασιλεύει*. Sed sensus non ita ineptus videtur, ut Buttm. dixit, quin ferri quidem possit. „Hos Juppiter habitare jussit in terrae finibus, sed tamen longe remotos a Titanibus.“ Ut in Theog. v. 620, Centimanos aut Saturnus aut Juppiter

κατένασσεν ὑπὸ χθονὸς εὐρυοδείης,
* * * * *μεγαλῆς ἐν πείρασι γαίης,*

ubi etiam postea habitant, catenis soluti, custodes vigiles ac fortes Titanum, quos (cf. ibid. 717) dii Olympii sub terram miserant in infimum Tartarum, quem circa triplex nox circumfunditur ac profundum regnat silentium. Atque longe ab his locis infaustissimis, ubi cum Centimanis degunt *ἀθάνατοι, τοῖσιν Κρόνος ἐμβασίλευε*, habitant semideorum lectissimi, sub terra videlicet. Nam in terra si poeta voluisset, inepta fuisset Titanum *ὑποταρταρίων* mentio. Itaque sensum non prorsus ineptum e verbis eruas, sed orphica ac mystica sunt, quae de beatorum sedibus infernis, dies noctesque subterraneo Sole collustratis, memorat Pindarus, Olymp. II, 61 sqq., Threnor. fr. 1. Lectionem *ἐμβασίλευεν* si jam Alexandrini invenerunt in vetustis suis exemplaribus, ac videntur sane, cum Proculus a quibusdam hunc et sequentem v. ejectos esse dicat propter varias caussas quasdam: vocabulum corrigere malle tamquam antiquitus corruptum, quam explicare, cum probabilis possit erui explicatio, audacius videtur. Quamquam v. 19 ipsi maluimus emendare, sed probabilem et facilem interpretationem ista quidem verba non admittunt. Mihi igitur persuasum est, primum versum illatitium esse, deinde sic ab eo, qui intulit, intellectum, ut dixi. Hic in mentem venit v. 111, quem uncis inclusit Goettling., non probabile esse contendens, jam Hesiodum memorasse, sub Saturno aetatem auream fuisse, cujus rei ne Aratus quidem injiciat mentionem. Ac profecto, cum vix probabile sit, quod supra contendimus, v. 109 corruptum esse, debemus certe eum versum, quo Saturnus memoratur, pro addititio habere. Jam vero quis non miretur, alterum versum 169 notandum esse, quo Saturnus iterum occurrit? Orphicum interpolatorem et in Theogonia passim deprehendimus, ut in loco de Hecate, cur isti ab Operibus manus abstinuerint? Igitur ter quidem Orphicum interpolatorem aetatum mihi videor recte odoratus esse, in v. 108, 111, 169 cf. v. 18 sq. De Saturno igitur in hoc carmine nulla mentio facta fuit; sub Jove beati et omnium malorum expertes homines etiam in Theogon. repraesentantur v. 535 sqq., auream argenteamque aetates ab universis diis Olympicis, tertiam et quintam a Jove solo creatas noster tradit.

Sed haec alicui acrius quam verius disputata esse videantur. Examinemus Buttm. correctionem *ἐμβασιλεύει*. Tum alia difficultas oritur non ex sententiis quidem, sed ex verbis. Quis enim probet exemplis, ferre epicam dictionem, ut, interpunctione post *ἀθανάτων* posita, simplici demonstrativo pronomine enunciatio adjungatur, qua exhibentur res novae et gravissimae? Sed adscribam locum, ut facilius evincam:

τοῖς δὲ δίχ᾽ ἀνθρώπων βίοτον καὶ ἤθε᾽ ὀπάσσας
Ζεὺς Κρονίδης κατένασσε πατὴρ ἐς πείρατα γαίης,
τηλοῦ ἀπ᾽ ἀθανάτων τοῖσιν Κρόνος ἐμβασιλεύει.

His separatim humanum victum et mansiones concedens, Juppiter in finibus terrae collocavit; *atque ibi* sub Saturno vivunt. Magna res, quod Saturnus regnat in sedibus beatorum. Aut prorsus fallor, aut epicus sermo poscit, ut scribatur:

τηλοῦ ἀπ' ἀθανάτων, τοῖς δὲ Κρόνος ἐμβασ.

aut

τῆλε δ' ἀπ' ἀθανάτων τοῖσιν Κρ. ἐμβ.

Sed non est in his subsistendum, res eget altioris indaginis. Primum probabile maxime, cum apud Homerum et in Theogonia Saturnus non dicatur vinculis solutus esse, sed usque cum Titanibus in Tartaro degere, cf. Theog. 861, Il. XIV, 274, 279., in hocce carmine, Theogonia certe non recentiore, non tradita esse diversissima. Sed aliam etiam difficultatem creat v. 169. Nam non recte supra expressi verba

τοῖς δὲ διχ' ἀνθρώπων βίοτον καὶ ἤθε' ὀπάσσας.

Vox *δίχα*, quia genitivus nullo interjecto vocabulo sequitur, aegre ab *ἀνθρώπων* divellitur; praeterea incisio versus vocabulum *ἀνθρώπων* ab insequentibus disjungit. Itaque et versus et usus flagitat, ut *δίχ' ἀνθρώπων* conjungatur. Recte schol. anonym. *ἀπεχώρισεν αὐτοὺς τῶν ἀνθρώπων, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ἴδιον τόπον καὶ ζωὴν — πέραν τοῦ ὠκεανοῦ.* Jam vero si haec explicatio sola probanda, nemo non sentit, parum concinne dici: *κατένασσε δίχ' ἀνθρώπων τηλοῦ ἀπ' ἀθανάτων.* Satis est commemorari a viventium domiciliis procul abesse beatorum sedes; etiam ab Olympo remotas esse, quid interest scire? Hoc sentiens O. *Muellerus* in dissert. de insulis fortunator., Gottingae edita. a. 1837, *τοῖς δὲ δίχ' ὀπάσσας* conjungit. Sic etiam *Proculus.* Sensum bonum esse non nego, epicam dictionem admittere constanter nego.

Reliquum est, ut sententiarum nexum accuratius examinemus. Facile autem hoc perspicitur, verbis *τοῖσιν Κρ. ἐμβ.* absolutam et ad finem perductam esse periodum, ut nihil amplius exspectes. Sed sequentia ne spuria habeas, orationis vetat splendor ac fervor in Boeoto poeta rarus, qui non fugit antiquos grammaticos. Adscribam Proculi annotationem ad v. 169: *τοῦτον καὶ τὸν ἑξῆς στίχον ὡς φληναφώδεις ἐξοικίζουσί τινες τῶν Ἡσιόδου, τά τε ἄλλα φαυλίζοντες καὶ τὸ ἐνθουσιαστικὸν τῆς εἰςβολῆς τῶν μετ' αὐτοὺς στίχων ἀφαιρεῖν εἰπόντες.* Mirum sane, quod *τοὺς μετ' αὐτοὺς στίχους* de v. *μηκέτ' ἔπειτ' ὤφειλον* sqq. intellexit Proculus. Num annotatio perperam adscripta ad lemma *τηλοῦ ἀπ' ἀθαν.*, ad verba *ὄλβιοι ἥρωες* pertinet? Sed multo probabilius videtur, Proculum male intellexisse, quae in vetusto commentario, fortasse Plutarchi scripta invenerat, nam philosophicas nugas agit post ea, quae supra adscripsi, sic pergens: *ὡς γὰρ ἀποβλέψας εἰς τὸ κατ' αὐτὸν τῶν ἀνθρώπων γένος μετὰ τὴν ἐξύμνησιν τῆς τῶν ἡμιθέων λήξεως, ἐπάγει,*

μηκέτ' ἔπειτ' ὤφ. sqq.

δι' ὧν οὐ μόνον δηλοῖ τὴν ἀπὸ τῶν κρειττόνων εἰς τὸ χεῖρον εἶδος τῆς ζωῆς μεταβολήν, ἀλλὰ καὶ ἀνάπαλιν ἔσεσθαι ἀπὸ τῶν χειρόνων εἰς τὸ κρεῖττον. In aperto est, opinor, non probari his, quae probanda erant. Praeterea certissimo indicio est, non v. *ὄλβιοι ἥρ.* sqq., sed eos ipsos vv., de quibus agimus, obelo a quibusdam grammaticis notatos fuisse, quod in plerisque cdd. absunt vv. 169 et 170, versus autem 172 et sq. in omnibus leguntur. De qua re supra accuratius dixi p. 5. Jam vero nemo est, opinor, quin sentiat, *τὸ ἐνθουσιαστικὸν* totius loci mirum quantum augeri, si omittatur non solum v. qui de Saturno agit, sed sequens etiam, ab eodem illo interpolatore additus, ut sententiarum nexum, turbatum priore v. addito, restitueret. Habes igitur illam ipsam venustam simul et *ἐνθουσιαστικὴν* figuram, quam saepius restituendam esse supra dixi, si totum locum sic legis:

Τοῖς δὲ δίχ' ἀνθρώπων βίοτον καὶ ἤθε' ὀπάσσας
Ζεὺς Κρονίδης κατένασσε πατὴρ ἐς πείρατα γαίης
ἐν μακάρων νήσοισι παρ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην.
ὄλβιοι ἥρωες! τοῖσιν μελιηδέα καρπὸν
τρὶς ἔτεος θάλλοντα φέρει ζείδωρος ἄρουρα.

Cetera, ut videtur, bene habent in quartae aetatis narratione; post v. 164 possit quidem unus alterve

versus excidisse videri, ut supra post v. 94, sed tamen ferri sic possunt quae leguntur. De vocis ἄρειον explicatione v. 158 dissentio a Goettlingio; ut sit comparativus, aequalitas epicae orationis flagitat; praecedit enim δικαιότερον.

Pergimus ad quintam aetatem, in cujus descriptione me quoque tam multa gravissime offendunt, ut nesciam, ὅπῃ ζόφος οὐδ' ὅπῃ ἠώς. Ut prima verba mittam, quorum etsi non expedita, probabilis tamen excogitari interpretatio potest, difficilis statim in vv. 180 sqq. quaestio oritur, utrum de sexta aetate vaticinetur poeta, an de extrema quinta. De sexta intelligit Proculus, alii; de extremo quinta videtur Theognis cogitasse, illo loco, quem supra p. 11 attuli, vv. 1135 sqq. Dicit enim sua aetate evenisse eadem illa, quae eventura esse noster vaticinatur:

εὐσεβέων δ' ἀνδρῶν γένος ἔφθιτο, οὐδὲ θέμιστας
οὐκέτι γινώσκουσ' οὐδὲ μὲν εὐσεβίας.

Ac cum de ceterarum interitu dictum sit, de fine quintae aetatis quaedam commemorari fere necessarium videtur, siquidem ab uno eodemque auctore totum carmen profectum est. Itaque servandum duco v. 180, Ζεὺς δ' ὀλέσει καὶ τοῦτο γένος sqq. Versum 179 maxime jejunum esse nemo non sentit; nam summam animi commotionem poetae et antecedentia et sequentia arguunt. Quapropter ab interpolatore, qui quasi corrigere Hesiodum, vel se ipsum consolari de sui temporis miseriis vellet, eum v. additum esse facile credo; quamquam non turbat sententiarum nexum. Sed plurima turbant in sequentibus, quibus, sive de quinta sive de sexta aetate accipiuntur, certe haec dicit, aliquando tantam futuram esse inter homines morum depravationem, ut bonis omnibus expulsis belloque omnium contra omnes facto, ingravescente malorum mole obruti interituri sint. Haec voluisse poetam nemo negat, confuse dixisse, praeter Ranckium, omnes affirmant. Primum non placet, dissimilibus interjectis, vv. 185 sqq. iterum agi de filiis ac parentibus; ferri potest haec ἐπανάληψις, quam Proculus sensit quidem, sed non notavit; at offendit certe. Deinde vox χειροδίκαι non ad antecedentia trahenda est, cum explicetur sequentibus. Non illis in manibus jus est, quod parentibus non solvunt educationis pretium, sed quod ad arma statim ruunt, ἐκ χειρὸς τὴν ἄμυναν ποιούμενοι. *Proc.* Tum verba δίκη δ' ἐν χερσὶ καὶ αἰδὼς οὐκ ἔσται, aut corrupta sunt, (quod veri non est simile,) aut pugnant cum voce χειροδίκαι. Hoc jam veteres grammatici annotasse videntur, contra quos Proculus videtur haec proferre: καὶ οὐ μάχεται τὸ χειροδίκας εἶναι καὶ τὸ δίκην μὴ ἔχειν ἐν χερσί, διὰ γὰρ τοῦτο ἔσονται χειροδίκαι, διότι τὸ δίκαιον ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν οὐκ ἔστι. Probat hocce sophisma Ranckius; at χειροδίκαι si ii sunt, quibus δίκη ἐν χερσίν ἐστι, qui ferri potest, paullo post dici de iisdem hominibus, his δίκη οὐκ ἔσται ἐν χερσίν. Nec probabilior explicatio Goettlingii, quam in ed. sec. affert, ἐν χερσὶ esse ἐν ἔργοις i. e. in iis, quae agunt. Nec tollitur offensio, si cum Dindorfio incidas post χερσί, ut sensus eruatur: jus in manibus erit, ac pudor non erit. Qualem medicinam adhiberi depositis verissime monet Lehrsius. Itaque, cum et χερσὶ mutare in τοῖσδε, vel οὐκ ἔσται in ἐσσεῖται audacissimum sit, concedendum, v. 192 οὐκ ἔσται sqq. sejungendum esse ab antecedente, ut de v. 189 paullo ante monuimus. Adhoc salvum locum esse haec redarguunt, quod gradatio non juste procedit, maxime interjecto v. 189, quodque de jurejurando bis agitur v. 190 et v. 194.

Difficillimum est, conturbatum sententiarum nexum sic restituere, ut in Pandorae loco contigit, de quo paullo ante disputavimus. Quod enim illo loco sine dubio factum est, ut nonnulla prorsus interierint, idem hic quoque facile potest accidisse. Quamobrem totum locum „in indissolubilibus" relinquere quam restituere conari fortasse satius est; quod fecit Lehrsius. Sed tamen, quo alios forsan excitem ad id quod verum est investigandum, ea quae mihi in mentem venerunt in medium proferre non dubitabo. Videntur autem aptius se excepturae esse sententiae, si sic procedant: Delebit Juppiter quintum hominum genus, ubi tanta fiet naturae degeneratio, ut canis capillis nascantur ho-

mines ac parentibus prorsus dissimiles. Tum morum quoque summa existet depravatio; nulla filiorum erga parentes pietas; fratrum, amicorum, hospitum caritas nulla erit, exstinguetur fides, justitia, virtutis amor; violentiae et armorum insanum studium invadet cunctos; bellum exorietur omnium contra omnes: tum vero dii deaeque omnes terram relinquent, nec erit qui miserrimis mortalibus perniciem amoveat. Itaque totus locus fere in hunc modum restituendus erit:

Ζεὺς δ᾽ ὀλέσει καὶ τοῦτο γένος μερόπων ἀνθρώπων,
εὖτ᾽ ἂν γεινόμενοι πολιοκρόταφοι τελέθωσιν,
οὐδὲ πατὴρ παίδεσσιν ὁμοίιος οὐδέ τι παῖδες.
αἶψα δὲ γηράσκοντας ἀτιμήσουσι τοκῆας·
μέμψονται δ᾽ ἄρα τοὺς χαλεποῖς βάζοντες ἔπεσσι,
σχέτλιοι οὐδὲ θεῶν ὄπιν εἰδότες· οὐδέ κεν οἵγε
γηράντεσσι τοκεῦσιν ἀπὸ θρεπτήρια δοῖεν.
οὐδὲ κασίγνητος φίλος ἔσσεται, ὡς τὸ πάρος περ,
οὐδὲ ξεῖνος ξεινοδόκῳ καὶ ἑταῖρος ἑταίρῳ
οὐκ ἔσται. βλάψει δ᾽ ὁ κακὸς τὸν ἀρείονα φῶτα
μύθοισι σκολιοῖς ἐνέπων, ἐπὶ δ᾽ ὅρκον ὀμεῖται.
οὐδέ τις εὐόρκου χάρις ἔσσεται. οὔτε δικαίου
οὔτ᾽ ἀγαθοῦ· μᾶλλον δὲ κακῶν ῥεκτῆρα καὶ ὕβριν
ἀνέρα τιμήσουσι, δίκη δ᾽ ἐν χερσὶ καὶ αἰδώς.
χειροδίκαι! ἕτερος δ᾽ ἑτέρου πόλιν ἐξαλαπάξει.
Ζῆλος δ᾽ ἀνθρώποισιν ὀϊζυροῖσιν ἅπασιν
δυσκέλαδος, κακόχαρτος ὁμαρτήσει, στυγερώπης.
καὶ τότε δὴ πρὸς Ὄλυμπον sqq.

Iterum iterumque haec inspicienti veri visa sunt haud dissimilia, nec occurrit quidquam quod displiceat, nisi forte hoc loco nominativus *χειροδίκαι* magis offendat quam iis locis, quos supra attuli. De qua dicendi figura cf. etiam v. 634, ubi Lehrsius interjectionis signum posuit post vocabulum *ἁρπακτός*. Ceterum si recte fecimus, quod verba *οὐδὲ πατὴρ παίδεσσιν* sqq. cum versu proxime praegresso conjunximus, confusio versuum inde profecta esse videatur, quod binos versus 183 et 184, in quorum fronte eadem vox *οὐδὲ* posita est, non consulto, sed per errorem aliquis suo loco moverat. Haec si probabilia sunt quae diximus, Alexandrinis grammaticis Operum non admodum correcta exemplaria in manibus fuisse, ex iis maxime, quae et de hoc et de Pandorae loco disputavimus, satis perspicitur, Theogoniae eos non habuisse meliora, cum multis locis, tum eo qui est de Typhoeo, quadam dictionis magnificentia multisque adspersis verborum luminibus excellente, comprobatur. Quem locum hic juvat paucis tractare. Tenor narrationis turbatus est vv. 844 - 852. Rem sensit Goettl. in altera ed. statuens, vv. 839—852 alius recensionis esse pro vv. 853 – 856. Lennepius ita explicat, ut primum de sede sua Jovem fulmina jaculatum esse, deinde, sumptis armis, in Typhoeum irruisse dicat. At num vv. 839 sqq. narratur, certamen ipsum jam initum esse a Jove? Quantum equidem video, de fulmine, monstro illi immisso, ne verbum quidem; nihil aliud verba *σκληρὸν δ᾽ ἐβρόντησε* sibi volunt, nisi statim ab re animadversa patrem ab alto intonuisse, ut tremendo fragore terra, mare, coelum, Tartarus resonarent; atque eo ipso tonitru edito, *κορθύνει ἑὸν μένος*. Jam oratio sic recte procedit: postquam intonuit, surgit vv. 843 sq., sub ejus pedibus Olympus contremiscit et subjacens terra. Tum, collectis viribus suis et ad summum evectis (v. 853), arma sumit, et ab Olympo irruens in Typhoeum, innumerabilia fulmina mittit. Nunc demum de ardore, a Jove et Typhoeo bellantibus excitato, mentio fieri potest. Praeterea, ut orationis tenor aequalis sit, post v. 856 nonnulla addi necesse est: initium et finem certaminis cum splendide tractet poeta, cur neglexerit ipsum certamen exornare?

Jam vero si vv. 844 sq. post v. 856 inserendi sunt, consequitur, ut vv. 846 sqq. non possint omnes genuini esse. Ex quibus sunt qui offendant, etiamsi loco suo non moveantur. Primumenim quis ferre possit, de maris aestu ter dici: *καῦμα κάτεχε πόντον, ἔζεε θάλασσα, θῦε κύματα.* Deinde quod fluctus exaestuare dicuntur *ῥιπῇ ὑπ' ἀθανάτων*, absurdum est. Sub deorum impetu Olympum contremiscere, bene dicitur v. 681. Videntur mihi tres vv. 847, 849 ex Titanomachia petiti et sic quidem ab eo, qui adscripsit, conformati esse, ut constructio non turbetur. Cf. vv. 695, 681. V. 852 propter constructionem quidem ferri potest, sed videatur ad v. 683 confectus esse. V. 850 scribendum *τρέε δ' Ἀΐδης*, quod exhibet Trich. de metr. p. 52. Itaque totus locus sic restituendus videtur:

ποσσὶ δ' ὑπ' ἀθανάτοισι μέγας πελεμίζετ' Ὄλυμπος
ὀρνυμένοιο ἄνακτος, ὑπεστενάχιζε δὲ γαῖα·
τρέε δὲ Ἀΐδης ἐνέροισι καταφθιμένοισιν ἀνάσσων,
Τιτῆνες θ' ὑποταρτάριοι, Κρόνον ἀμφὶς ἐόντες.
Ζεὺς δ' ἐπεὶ οὖν κόρθυνεν ἑὸν μένος, εἵλετο δ' ὅπλα
βροντήν τε στεροπήν τε καὶ αἰθαλόεντα κεραυνόν,
πλῆξεν ἀπ' Οὐλύμποιο ἐπάλμενος· ἀμφὶ δὲ πάσας
ἔπρεσε θεσπεσίας κεφαλὰς δεινοῖο πελώρου.
καῦμα δ' ὑπ' ἀμφοτέρων κατέχεν ἰοειδέα πόντον
βροντῆς τε στεροπῆς τε πυρός τ' ἀπὸ τοῖο πελώρου,
[πρηστήρων ἀνέμων τε κεραυνοῦ τε φλεγέθοντος.
θῦε δ' ἄρ' ἀμφ' ἀκτὰς, περί τ' ἀμφί τε, κύματα μακρά.
αὐτὰρ ἐπεὶ δή μιν δάμασε πληγῇσιν ἱμάσσας,
ἤριπε γυιωθείς, στενάχιζε δὲ γαῖα πελώρη.

Restat, ut eam quaestionem quae est de auctore hujus carminis, paucis attingam. Itaque, ut eos non recte facere convincam, qui aetatum fabulam ab eodem auctore conscriptam volunt atque reliquum carmen, primum illud te non fugiet quod *Ζῆλος* v. 194 sq. iisdem muneribus perfungitur, ac mala Contentio, *ἣ πόλεμόν τε κακὸν καὶ δῆριν ὀφέλλει;* ad bellum enim maxime spectant epitheta *δυςκέλαδος, κακόχαρτος, στυγερώπης.* Verum enim, quamvis hujus dei, qui *Ζῆλος* audit, non sit ea natura atque notio, quin cum ardorem animi atque aemulationem significet, ut in Theog. v. 884, tum *Ἔριδος* nomine appellari potuerit, ut in nostro loco, tamen quam maxime dubium videri debet, num unus idemque poeta eidem divino numini et in eodem quidem nec longo carmine diversa nomina indere ausurus fuerit. Quae res mihi quidem praeclaro indicio est, hanc de quinque aetatibus generis humani fabulam non pertinere ad Opera. Sed sunt etiam aliae caussae, cur Proculi, Ranckii, Vollbehrii sententiam rejiciendam esse putem. Primum enim vix credibile videtur, eundem auctorem ad eandem rem probandam diversos mythos traditurum fuisse. Nam alter docet, mala a diis immissa esse, alter *ὑπὲρ μοῖραν* ab ipsis hominibus sibi creata. Cf. Odyss. I, 32 sqq. ubi Juppiter:

ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται·
ἐξ ἡμῶν γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπέρμορον ἄλγε' ἔχουσιν.

At contra dixeris, hac re nihil aliud evinci, nisi antiquissimorum temporum eam simplicitatem fuisse, ut diversis mythis idem demonstrari posse facile crederent, nec alteri traditioni fidem denegarent potius quam haberent utrique. Audio; at qui probetur, aetatum fabula enarranda id consilii sequi poetam, ut ad vitam sustentandam labore opus esse edoceat? Nam Pandorae quidem mythus, quamquam non ab ipso Hesiodo, sed a compositore Operum insertus, potest tamen cum iis, quae in exordio carminis exposita sunt, sic cohaerere videri, ut illa comprobet, quae mytho aliquo ipsum Hesiodum comprobaturum fuisse facile credas. Nam cum inde a v. 42 usque ad v. 49 tanta sit sententia-

8

rum concinnitas, ut, nisi primum v. 42 additum esse statuas, nec ceteros insititios habere merito possis, consequitur, ut in germano ac vetustissimo Hesiodi carmine non solum de Promethei fraude, sed de Pandorae pyxide etiam sermonem fuisse meo jure supra contenderim. Non tacui autem, eo inclinare animum, ut, siquidem ante v. 95 nonnulla exciciderunt, versu 90 sententiam vv. 42 — 49 expressam continuari suspicer. Si ita sit, vv. 50 — 89 a rhapsodo ita assuti germano carmini videantur, ut Scutum Herculis Eoearum fragmento, aut additi a compositore, non propter vocem χρύφε, sed propter ea quae sequebantur. Sed redeo ad γενεάς; quae non alio cum praegressis vinculo continentur nisi versibus duobus tribusve exilibus et quolibet versificatore vel compositore dignis. Itaque fit, ut tota narratio, quae v. 106 — 201 exhibetur, non ullo reliquorum damno e carminis nexu eximatur. Quae res notanda est in poemate, quod illi ab uno auctore profectum esse volunt. Quamquam non negant, rem notandam esse, sed Hesiodeae artis videlicet proprietate excusant. Num vero pulcherrimo carmini etiam eam labem inferri patientur, ut a primario argumento, quod initio tractatur ita devertat poeta, ut tamquam secundarii oblitus esse videatur? Num denique hoc non animadvertent, animi illum fervorem, quo ea quae de Contentione et Justititia agunt, maxime excellunt, longissima narratione interjecta comprimi et restingui, ejecta autem excitari atque augeri? Uno tenore quaeso legas v. 11 — 49, 90 — 105, 202 — 279, omnia eodam stilo conscripta esse atque ex intimo pectore poetae, propter fratris nequitiam regumque injustitiam exacerbati, cum vehementissimo impetu quasi profluere atque exundare persentisces.

Dr. Theophil. Ludolph. Heyer.